DE VETERIBUS GRAMMATICIS ARTIS TERENTIANAE IUDICIBUS

DISSERTATIO INAUGURALIS PHILOLOGICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE
AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ACADEMIA FRIDERICIANA HALENSI CUM VITEBERGENSI
CONSOCIATA

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

SCRIPSIT

MAXIMILIANUS DORN

SAXO-BORUSSUS

HALIS SAXONUM
TYPIS WISCHANI ET BURKHARDTI
MDCCCCVI

DE DISSERTATIONE PROBANDA
AD PHILOSOPHORUM ORDINEM RETTULIT
FRIDERICUS BLASS

FRIDERICO BLASS
GEORGIO WISSOWA
S.

Non omnia iudicia ab interpretibus de Terentio prolata hisce plagulis colligam atque tractabo, sed laudibus, quae commentarios Terentianos obiter inspicienti saepenumero tibi occurrunt, prorsus fere neglectis in angustioribus quaestionibus solvendis acquiescam et hoc solum contemplabor, quibus locis, quibus de causis, quantum perspicere poterimus — quibus a viris Terentius vituperatus sit.

Neque vero huic auctori obtrectatores defuerunt. Zoili quidem et Carvilii Pictoris collegas ac pedissequos, qui eadem cavillandi cupidine in Terentium irruerint, qua illi in Homerum et Vergilium, vix reperies; sed etiam grammaticorum verorum et ab illis poetarum quaestionariis[1]) plane diversorum vituperationes quamvis rariores aperuisse iuvabit.

De veteribus Terentii interpretibus.

P. Terentius Afer, cum semper plurime lectitaretur, in eorum scriptorum Romanorum numero fuit, quibus in explanandis atque interpretandis multi viri docti veteres operam navarent. Quorum studiorum quamquam laetabilem copiam ut commentarios Donati atque Eugraphii et scholia quae feruntur Bembina, alia quae Frid. Schlee[2]) edidit, bona fortuna servavit, tamen haud pauci grammatici, quos in Terentio commentando operam collocavisse plus minusve pro certo compertum habemus, ut Valerius

---

[1]) cf. Lehrsium in Aristarcho ^{3} p. 197 sqq.

[2]) Scholia Terentiana coll. et disp. Fr. Schlee, Lips. 1893.

Probus, Aemilius Asper, Helenius Acro, Arruntius Celsus, Euanthius nihil aliud fere nisi nomina nobis reliquerunt.

Praesertim *Arruntius Celsus,* qui sex locis Phormionis (accedunt tres ex Aeneidis libro XI) a Julio Romano apud Charisium affertur, maioribus obtegitur tenebris, quam ut de eo aliquid asseverare possimus; nam ne hoc quidem, utrum in ampliore aliquo opere grammatico an in commentario ad Phormionem composito de Terentio disseruerit, affirmare Wessnerus[1]) ausus est. Donatus quidem commentario Celsi, si quis extitit, usus esse non videtur, cum locorum ab hoc expositorum similia in illo omnino desiderentur. Celsum hoc imprimis studuisse exempla a Charisio tradita docent, ut antiquum Terentii sermonem illustraret: nempe et de miris vocabulorum significationibus ut „perdite“ pro „valde“ (Charis. 213,16), „plurimum“ pro „saepe, frequenter“ (Char. 212,3), „ut“ pro „utinam“ (Char. 222,28) quaesivit neque verborum structuras formasque sua aetate inusitatas ut „nimium quantum“ pro „nimium, ut immane quantum“ (Char. 207,13), „hic viciniae“ (Char. 223,11), „publicitus“ (Char. 214,4) praeteriit.

De *Helenio Acrone*[2]), Horatii commentatore, cuius studiorum Terentianorum apud Julium Romanum in Charisio undecies mentio fit, iam maiorem aliquam lucem accipimus. Locorum sub nomine eius allatorum tres in Eunuchum, novem in Adelphos[3]) spectant; quam ad fabulam Acronem commentarium scripsisse Julius Romanus hisce verbis diserte pronuntiat: Charis. 192,30: „. . . viderit etenim Helenius Acron commentariis, quos Adelphis Terenti

---

[1]) Hunc v. d., qui in commentatione quae inscribitur „Aemilius Asper“ (Progr. scholae Latinae Halensis 1905) de Terentii interpretibus egit, maxime sequor, cum studiorum Terentianorum historiam breviter percurro. — Wessnerus de Arruntio Celso disseruit l. l. p. 14—16.

[2]) cf. Wessner l. l. p. 16 sq.

[3]) ad Ad. V 9, 5 eadem Acronis adnotatio in Charisio bis exhibetur (Char. p. 192, 30; 219, 5).

non indiligentes attulit . . .", ita ut etiam de commentario in Eunuchum scripto non dubitemus. Neque Acro apud grammaticos posteriores ignotus neque despectus fuit, quippe cuius commentarios Adelphorum Julius Romanus loco Charisii modo laudato „non indiligentes" appellaverit cuiusque de studiis Horatianis in vitae Horatianae appendice[1]) hoc legamus: „commentati in illum (sc. Horatium) sunt Porphyrion, Modestus et Helenius Acron. Acron omnibus melius." Sed in adnotationibus, quae ad Terentium ab eo prolatae adhuc supersunt, nulla fere eximiae doctrinae vestigia conspicimus; etenim tum similiter atque Celsus tales formas quales „duriter" (Charis. 197,22) et „hilariter" (Char. 200,15) et „fructi" (Char. 130,10) et accusativos „ambos, duo" (Char. 119,9; 126,13) apud veteres non inusitatas fuisse ostendit, tum „in prima fabula" pro „primo in fabula" (Char. 210,10) et „prius" pro „melius, utilius" (Char. 210,13) et „quod poteris" pro „in quantum poteris" (Char. 216,7) usurpari docet, tum quo accentu vocabulum „interealoci" dici debeat quaerit (Char. 201,3), tum de origine ac vi vocis „sedulo" disserit (Char. 219,5; 192,30) et rhetorica tetigit haec ad Ter. Ad. I 1,15 (Char. 229,21) adnotans: „atque] . . . argute, . . . nam per hanc coniunctionem transitum fecit ad narrationem". Acronem vero studiis non obiter se dedisse haec nobis persuadent, quod Verrio Flacco adversatus est (Char. 119,9 sq.) et exempla ad veteris poetae sermonem illustrandum ex Ennio atque Afranio petivit (Char. 197,22; 200,15)[2]). Sed eum in commentis Terentianis a sermone explicando ad res ipsas interpretandas progressum esse oculis quidem non videmus, suspicari autem licet, cum in Horatio ac Persio[3])

1) Pseudacronis scholia in Horatium vetustiora rec. O. Keller I 3.

2) De locis ab Acrone ex aliis scriptoribus allatis egit Froehde, de C. Julio Romano Charisii auctore, Annal. philol., suppl. XVIII. (1892), 644.

3) Si modo Acro Persium commentatus est.

commentando eum talia quoque muneris sui arbitratum esse hisce scholiastarum verbis admoneamur:

Porph. ad. Hor. serm. I 8,25: „*memini me legere apud Helenium Acronem* Saganam nomine fuisse Horati temporibus Pompei sagam senatoris qui a triumviris proscriptus est . . .“

schol. Pers. sat. II 56: „*Acron tradit,* quod in porticu quondam Apollinis Palatini fuerunt L Danaidum effigies . . .“

Sed iam de *Valerio Probo* agendum erit, a quo multa scriptorum Romanorum exemplaria emendata ac distincta et adnotata esse Suetonius (de gr. p. 118,13 sq. Reiff.) tradidit quemque etiam Terentii edendi curam suscepisse Donatus hisce locis testatur:

Don. Andr. IV 3,5³: „dolorem] »dolorem« *distinxit Probus* et post intulit separatim quod sequitur.“

Don. Eun. I 1,1⁷: „non eam ne nunc quidem] »non eam« *Probus distinguit,* iungunt qui secundum Menandri exemplum legunt.“

Don. Ad. III 2,25: „quid festinas mi Geta] *Probus* personae *assignat* hoc Sostratae, Asper non vult ad omnia servum respondere, sed nutricem putat hoc loqui . . .“

Sed estne mirum, quod ille, qui libros corruptos ac depravatos diligenter in integrum restituere conatur, hic illic subsistit et de verbis sensuque accuratius disserit? Quo interpretum munere Berytium illum non abstinuisse Suetonius (de gr. p. 119,6 Reiff.) docet, apud quem Probum „non mediocrem silvam observationum sermonis antiqui reliquisse, sed pauca tantum et exigua de quibusdam minutis quaestiunculis edidisse“ legamus. Quibus verbis cum de commentariis a Probo conscriptis nihil indicetur, Probiana in Donato reperta aut ex editionibus (ut eos quos supra enumeravi locos) aut ex iis adnotationibus derivare cogimur, quas Probus Terentii edendi officio deditus, ubicunque placuit, literis mandavit, id quod a Wessnero[1]) rectissime praedicatum est.

---

[1]) l. c. p. 19 sq.

Neque omnia vestigia illarum sermonis antiqui observationum, quarum mentio in Suetonio fit, in corpore Donateo evanuerunt:

Don. Phorm. II 3 (B), 25[2]: „male loqui] pro »male dicere«. et *quaerit Probus*, quis ante Terentium dixerit," — hac ratione neque Celsus neque Acro, quorum studia de usu vocum supra tetigimus, de verborum historia quaesiverunt —

et Don. Phorm. I 3,3[1]: „incogitans] temerarius. *Probus* »nomen *incogitans*« inquit »in usu est, at non eodem modo *cogitans*.«"

Deinde in Don. Andr. V 3,4[1] *Probus quaerit*, »ain« quae pars orationis sit et an una sit; tum in Don. Hec. prol. I, 2[3] artem etymologicam exercet: „calamitas παρὰ τὴν καλάμην dicitur, clades quia clam datur, ut aliud sit grandinis culmum frangentis, aliud furti aut doli mali. *sic Probus*."

Qua in mira derivandi ratione Varronem fortasse sequitur, cuius duas etymologias Donatus in scholiis ad Ad. IV 2,37[2] (sacellum = sacra cella) et V 8,29[3] (verbum a veritate) conservavit quemque a Probo inspectum esse cum per se probabile est tum hoc scholio docemur:

Don. Phorm. I 1,15[3]: „ubi initiabunt] *legitur apud Varronem* initiari pueros Eduliae et Poticae et Cubae, dis edendi et potandi et cubandi, ubi primum a lacte et a cunis transierint; quod Vergilius (Ecl. IV 63) . . . *hoc annotavit Probus*. sed Terentius Appollodorum sequitur . . ."

Quod scholium hoc praeterea nobis praestat, quod Probum in Terentio non solum sermonis, sed etiam rerum obscuritates illustravisse videmus, quo commentandi genere abstinuisse Celsum constat, Acronem minus in aperto est.

Sed studia Probi etiam magis varia fuisse hoc e scholio perspicies ad quaestionem nostram gravissimo:

Don. Phorm. V 9,16: „mi homo di melius duint] *quaerit Probus,* an matrona tam familiariter recte dicat

alieno. — sed frustra. nam feminarum oratio, etsi non blanditur, blanda est."

Est ergo ubi res veri parum similis in Terentio a celeberrimo illo grammatico castigata sit, cui verbis „sed frustra" sqq. defensorem obloqui non fusius nunc pandam.

Quantam ergo studiorum Probianorum varietatem pauca haec fragmenta aperiunt! Verba poetae restituit, historiam originemque singulorum multorum persequitur, res obscuras illustrat, quin etiam poetam errasse arguit! Num igitur Donatum e fonte tam uberi sola ea, quae nomen Probi adhuc prae se ferunt, hausisse putabimus? Nonne Probo — ut id tantum, quod nostra maxime interest, commemorem — etiam nonnullas alias reprehensiones a Donato conservatas vindicabimus, quippe quem in Vergilio castigatoris munere non raro functum esse iam Ribbeckius[1]) scholia Vergiliana secutus luculenter ostenderit?

Atque hic paulum aberrare et oculos ad Probum Vergilii reprehensorum convertere liceat, ut quam varie etiam Terentium vituperaverit, hac ansa data suspicari possimus[2]).

Tum Vergilium versus Homericos de Nausicaa ζ 102 hac re invenuste imitatum esse demonstravit, quod Dianae imaginem in Aen. I, 498 sq. ad Didonem transtulisset (Gell., noct. Att. IX 9,12 sq.)

Tum ἀπίθανον πλάσμα haec esse iudicavit, quae in Aen. XI 554 sq. de Camilla trans fluvium olim a patre traiecta narrantur (Serv. Dan. Aen. XI 554).

Tum ad Aen. X 18 (Serv.) theologicam quaestionem movit et ad Aen. IX 367 (schol. Veron. IX 369) neglegentiam poetae castigavit, qui versum „praemissi equites

---

[1]) Prolegomena critica ad P. Vergili Maronis opera maiora Lips. 1866, p. 142 sqq.

[2]) Praeter Ribbeckium ad singulos qui sequuntur locos conferas Henr. Georgii, Die antike Aeneiskritik aus den Scholien und anderen Quellen hergestellt. Stuttg. 1891.

ex urbe Latina« versui Aen. VII 600 contrarium esse non animadverterit."

Tum vv. Aen. I 21—22 (Serv. Dan. I 21) et IV 418 (Serv. Dan.) abundare dixit.

Nec praeteriit minora reprehendere: „et quaerit, quid in Aen. III 83 (Serv. Dan.) verba »iungimus hospitio dextras« significent et in Aen. IV 359 (Serv. Dan.) figuram »vocem auribus haurire« insolenter et in Aen. VI 177 (Serv.) verba »ara sepulcri« et in Aen. VI 782 (Serv.) verba »animos aequabit Olympo« nimis obscure et in Aen. XII 605 (Serv. Dan.) »flavos« parum epice dicta esse vidit.

Quin etiam nimis acerbo iudicio interdum usus est, quippe cui in Aen. II 173: „salsus sudor" (Serv. Dan.; schol. Veron.) malum epitheton displiceret, quem vocabulum „pristinus" pro „prior" (Serv. Aen. VI 473), „caespes" pro „campus" (Serv. Dan. Aen. XI 566) usurpari offenderet etc.

Sed iam ad Terentium redeamus, cum hoc solum ostendere voluerim tam frequentem Vergilii vituperatorem in una reprehensione casu apud Donatum conservata certe non acquievisse, sed plurium sine nomine traditarum auctorem esse habendum.

Atque Probiana in Donato inesse scire nobis sufficiat; utrum vero Donatus ipse Aristarchum Romanorum legerit an per Asprum, ut Wessnerus censuit,[1]) cognoverit, hoc divinare minoris nobis est pretii.

Sic de *Aemilio Aspro* disserere cogimur, cuius de temporibus et studiis illustrandis Wessnerus[2]) optime meritus est. Qui v. d. Asprum post Probum neque ante alterius saeculi p. Chr. n. initium fuisse hac re argute ostendit, quod et Probi qui fertur commentarius in Vergilii Bucolica et Georgica, in quo Asper ad. Ecl. VI 31 bis[3])

---

1) l. c. p. 23.
2) l. c. p. 6 sq.
3) Serv. ed. Thilo-Hagen III 2 p. 341,7 sq.; 337,17 sq.

allatus est, multo post Probum conscriptus est et Suetonius in libro, qui inscribitur „de grammaticis“, Probo commemorato Aspri mentionem non fecit. Quem ut in Sallustium et Vergilium[1]) ita in Terentium commentarium scripsisse Rufinus[2]) est testis, quorum studiorum vestigia est ubi adhuc in Donato conspiciamus:

Don. Ad. III 2,25: „quid festinas mi Geta] *Probus* personae assignat hoc Sostratae, *Asper* non vult ad omnia servum respondere, sed nutricem putat hoc loqui. . .“

Don. Ad. IV 2,20[5]: „em vide ut discidit labrum] *Asper* mediam longam a caedendo accipit, *ego* mediam brevem a scindendo.[3])

Don. Phorm. I 2,24[1]: „memini relinqui me d. i. m.] sic Vergilius (Aen. XII, 539—40) »nec di texere Cupencum Aenea veniente sui«. hoc *Asper. sed mihi videtur* ad hoc addidisse »meo«, ne esset *ἀμφίβολον*, cui diceret »irato deo«. Naevius in Stalagmo (Ribb. com.[3] p. 21). . .“

Quorum scholiorum in primo Asprum in distinctione verborum cum Probo dissentire, in altero verbum compositum explicare, in tertio obscurum Terentii locum Vergilio allato adiuvare videmus. Sed his ex paucis frustulis, quibus insuper addas etiam Rufinianum hoc[4]): „Asper in commentario Terentii sic: Hosce versus agere coepisset (Phorm. II 2,1) »itane patris ais adventum veritum hinc abiisse ad domum« et deinceps qui secuntur quadrati,“ Asprum illustrissimum illum grammaticum[5]) fuisse nequaquam suspicaremur, nisi Wessnerus[6]) uberiores studiorum eius reliquias in Donato aperuisset. Etenim scholio

Don. Eun. I 1,1[7]: „non eam ne nunc quidem] »non

---

[1]) Testimonia Wessnerus collegit l. c. p. 44 sq.

[2]) G. L. VI 555,1: Asper in commentario Terentii . . .

[3]) Asper recte vidit; etenim conferas Spengeli et Dziatzko-Kaueri adnotationes ad h. l.

[4]) G. L. VI 555,1.

[5]) cf. testimonia a Wessnero collecta l. c. p. 44.

[6]) l. c. p. 23 sq.

eam« *Probus* distinguit, *iungunt qui* secundum Menandri exemplum *legunt*"

neque Probum neque Donatum, sed inter hos alium quendam grammaticum (cf. iungunt, qui-legunt) Menandrum inspexisse docemur. Sed cum post Probum Asprum vixisse Wessnerus demonstraverit et cum hunc inter fontes Donati inserendum esse loci supra allati nobis persuadeant eademque commentatorum series Probus—Asper—Donatus alio quoque loco (Serv. ad Verg. Aen. VII 543) occurrat, de verbis illis „iungunt, qui-legunt" non dubitabimus neque Graeca Terentii exempla Aspro ante oculos fuisse negabimus.

Praeterea eidem grammatico, qui in scholio Veron. ad Verg. Ecl. VII 33 Ciceronem, Plautum, Varronem, Attam attulerit, etiam locos e vetustioribus Romanis a Donato commemoratos vindicandos esse Wessnerus[1]) censet.

Utcumque autem haec se habent, Asprum non solum exemplaria Graeca cum Terentio comparavisse, sed etiam verba Terentii (a Probo constituta) Graecis collatis correxisse e scholio Don. Eun. I 1,1[7] perspicimus, ita ut non miraturi simus, quod eum etiam paulo longius processisse et Terentium ob imitationem parum accuratam reprehendisse infra videbimus. Quae studia critica quam bene cum iis concinant, quae Asprum in Vergilio castigavisse scimus, consideres. Etenim in schol. Veron. ad Aen. X 559 hoc legimus: „*Asper:* hoc quidem apud Homerum de eo qui in flumine trahebatur recte positum est; at de eo, [cuius iacet in] campo corpus, sic flumine [mersum dicit] non est dictum ratione. Sic in quibusdam dum nimio stu[dio Vergilius ad] Homerum trahitur, neque temporis neque loci habet curam."

Atque similes imitationis Vergilianae vituperationes

---

1) Berl. Philol. Wochenschr. XXVI (1906) No. 2 p. 62. Sed eadem de re Wessnerus iam in „Aem. Asp." p. 33 sq. egerat.

a Macrobio (sat. V 13,34 sq.) conservatas et ipsas Aspro assignandas esse iam Ribbeckius[1]) suspicatus est.

Sed iam ad *Donatum* proficiscamur, cuius sub nomine ad omnes Terentii fabulas Heautontimorumeno excepto commentarium traditum habemus, quod opus tale, quale libri manuscripti exhibent, non a grammatico illo Romano quarti saeculi, Hieronymi praeceptore, conscriptum, sed variorum scholiorum farraginem esse iam pridem inter viros doctos notum erat atque conclamatum. Sed nostris demum temporibus Sabbadinii maxime studiis factum est, ut miram huius commentarii faciem atque originem explicare possimus.[2])

„Genuinum Donati commentum in duorum excerptorum manus incidit, qui servato auctoris nomine scholia maximam partem plus minusve transformata in Terentianorum codicum margines transtulerunt. Procedente tempore evenit, ut variae adnotationes diversae originis sive ab ipsis excerptoribus sive ab aliis adicerentur. Tum sexto saeculo nescio quis duo illa scholiorum corpora admodum aucta in unum cogere studuit atque rem ita instituit, ut primum singulos scholiorum ordines binis columnis iuxta positis ex codicibus transcriberet, deinde Terentianorum versuum ordinem secutus confunderet, id quod ei non semper contigit. Simul commissuras quam maxime occultare conatus est, ut unius et simplicis operis speciem efficeret; fortasse etiam alia nonnulla de suo addidit. Compilator vero cum per quattuor fabulas id egisset sedulo, ut duos commentarios in unum concinnaret et contaminaret, in Phormionis II 3 abiecta subito industria integros posuit, primum alterum a v. 3[3]) ad v. 93, deinde

---

[1]) proll. ad Vergilium p. 134.

[2]) Ea quae sequuntur verba Wessneri sunt in editionis Donateae vol. I, praef. XLVI.

[3]) Sic Wessnerus in editionis Donateae vol. II, praef. p. VII.

alterum a v. 5 ad v. 93; dehinc autem quae sequuntur scholia usque ad finem fabulae, ea ita comparata sunt, et unum commentarium adhiberi intellegas.“ [1])

Diversissima commentandi studia in scholiis quae feruntur Donateis occurrunt: lectio ac distinctio verborum indicatur, formae et origines et significationes vocabulorum explicantur, sententiae exemplis e variis scriptoribus allatis illustrantur, oeconomia poetae et gestus personarum considerantur, quanta ars rhetorica et philosophandi sapientia in singulis versibus insit demonstratur — quid multa? in totam commentatorum officinam inspicis. Qua in adnotationum mole quamquam haud pauca parvi pretii ac talia sunt, ut levissimo cuique grammatico potius quam Donato ipsi imputentur [2]), tamen non raro aliqua graviorum studiorum lux tibi arridet. Probi et Aspri, ut supra ostendimus, saepius mentio fit neque vetustiorum virorum doctorum Romanorum memoria occidit.

Sub *Nigidii Figuli* nomine tres loci afferuntur:

---

[1]) Karstenus in Mnemosyna XXXII (1904) p. 214 duas scholiorum series ad. Phorm. II, 3 sqq., cum rarissime inter se congruerent, e Donato excerptas esse negavit et novam rationem de origine huius partis commentarii protulit. Sed cum duobus illis Donati excerptis numerosissimae repetitiones et frequens verborum conturbatio in priore parte commentarii optime explicentur, non est cur hanc explanandi rationem in illorum Phormionis scholiorum explicatione spernamus, praesertim cum sententiarum consensiones in iis tam rarae non sint, quam Karstenus sibi persuasit. Etenim duo scholiorum ad Phorm. II 3 sqq. ordines (quod quidem ad sensum adnotationum attineat) sexies inter se congruunt, quamquam soli viginti septem eidem versus Terentiani utraque a parte tractantur.

[2]) Ut alios praetermittam, Karsteni tantum mentionem fecerim, qui postremus in Mnemos. XXXII (1904), p. 209 sqq.; XXXIII (1905), p. 125 sqq., 229 sqq. scholia Donatea secernere conatus est.

Don. Phorm. I 4,4[2]: „celari] *Nigidius* »celari« quaerit utrum plenum sit an pressum[1])" (fr. LIX Swob.)

Don. Phorm. I 4,13[3]: „protinus in pedes] »protinam« fuit, et sic *Nigidius* legit" (fr. LX Swob.).

Don. Phorm. II 1,3[2]: „non pudere] hic *Nigidius* annotavit »neminem videri pudere ante delictum«" (fr. LXI Swob.).

Quarum adnotationum duas illas priores commentariis grammaticis Nigidii, quos Gellius N. A. X, 5,1 (fr. XXXXII Swob.) et Servius ad Verg. Georg. I, 120 (fr. LXII Swob.) commemoraverunt, tribuere nemo dubitabit. Tertium autem locum, quamquam primo aspectu e commentario in Terentium scripto depromptus esse videtur, et ipsum in commentariis illis grammaticis extitisse iam Smutny[2]) recte censuit, cum Nigidium de vocabulo »saltem« in iis egisse apud Gellium N. A. XII, 14[3]) legamus et idem vocabulum in versu illo Terentiano Phorm. II, 1,3 (revereri saltem! non pudere) nobis occurrat, quem versum non alia de causa nisi ut opinionem suam de »saltem« voce prolatam illustraret, Nigidium attulisse et explicavisse apparet. Recte igitur iam Schopen[4]) et deinceps Suringar[5]) hunc in Terentii commentatorum numero fuisse negaverunt. Nigidiana vero aut e Probo aut ex Aspro aut ex utroque hoc grammatico Donato innotuisse cum per se veri simile est, tum iis quae sequuntur Varronianis magis probatur.

---

[1]) „Plenum" est in quo nihil detritum est; „pressum", quod contractum sive intercise dictum est. cf. Swoboda, P. Nigidii Figuli operum reliquiae. Vindob. 1889, p. 82 adn.

[2]) Smutny, de scholiorum Terentianorum quae sub Donati nomine feruntur, auctoribus et fontibus quaestiones selectae. Dissert. philol. Vindobon. VI p. 128.

[3]) cf. Swoboda, l. c. 19 sq.

[4]) Schopen, de Terentio et Donato eius interprete. Diss. Bonn 1821 p. 41.

[5]) Suringar, historia critica scholiastarum latinorum. Lugd. Batav. 1834, I 109.

Varronis enim auctoritas septies in Donato affertur. In Don. Eun. IV 3,7[1] similia huius v. d. verba ad miram aliquam sermonis Terentiani figuram (»absente nobis«) illustrandam commemorantur (de serm. Lat. V fr. 82 Wilm.), reliquis autem locis ea quae celeberrimus ille grammaticus ipse de variis rebus quaesivit, exponuntur.

Et vocabulorum origines investigavit:

Don. Ad. IV 2,37[2]: „et »sacellum«, ut *Varro* (Ant. rer. div. l. VI?) ait, sacra cella est."

Don. Ad. V 8,29[3]: „verbum dixit veram sententiam, nam »verba a veritate« dicta esse testis est *Varro* (cf. de l. l. I fr. 1 Wilm., p. 144,17)."

et de verborum rerumque significationibus disputavit:

Don. Eun. II 2,25[2]: „cuppedinarii omnes] *Varro* Humanarum rerum (l. IX fr. 1 Mirsch) »Numerius Equitius Cuppes« inquit »et Manius Macellus singulari latrocinio multa loca habuerunt infesta. his in exsilium actis bona publicata sunt, aedes ubi habitabant dirutae eque ea pecunia scalae deum penatium aedificatae sunt. ubi habitabant, locus, ubi venirent ea, quae vescendi causa in urbem erant allata. itaque ab altero Macellum, ab altero Forum Cuppedinis appellatum«."

Don. Phorm. I 1,15[3]: „ubi initiabunt] *legitur apud Varronem* (Catus vel de liberis educandis) »initiari« pueros Eduliae et Poticae et Cubae .... *hoc annotavit Probus.*"

et vilioribus de rebus disseruit:

Don. Ad. IV 2,44[2]: „apud ipsum lacum] credibiliter addidit »lacum«, nam *Varro* docet semper lacum portis additum . . ."

et Don. Ad. V 8,15[3]: „anno demum quinto et sexagesimo] haec aetas est ut *Varro* ait, etiam comicorum senum."

Scholio Don. Phorm. I 1,15[3] autem non tanta fides habenda est, ut omnia haec Varroniana e Probo emanavisse censeas; sed cum etiam Aspro utpote viro vere docto Varro non ignotus fuisset — e. g. in scholio Veron. ad

Verg. Ecl. VII 33 Asper Varronem attulit — utrumque hunc grammaticum, et Probum et Asprum, Varroniana Donato tradidisse probabilius est.

Praeter Nigidium, Varronem, Probum, Asprum, illum † Edisionum (Don. Eun. IV 4,22[2]), quo in nomine emendando viri docti frustra desudaverunt, multas aliorum grammaticorum sententias in corpus Donateum irrepsisse ea scholia diserte declarant, quibus „quidam, multi, alii" etc. afferuntur. Quos omnes locos tria in genera Smutnyum[1]) secuti disponamus, quorum primo quomodo verba Terentiana distinguenda quaeque singulis personis vindicanda sint explanatur; quo redeunt:

Alii: Don. Andr. V 4,30[2] „arrige a⟨ures⟩ P⟨amphile⟩] hoc Simo videtur dicere, ut *alii* putant, ipse sibi Pamphilus." Don. Andr. II 5,18[3]; V 4,47[1]; Eun. II 2,1[5]; V 8,27[5]; Ad. IV 7,9; V 3,19[1]. *quidam*: Don. Andr. I 1,27[1]; IV 4,15[3]; Eun. IV 3,11[2]; 4,41[2]. Ad. I 1,18[4]; II 4,23; IV 1,16[2]; Hec. I 2,78[1]. Phorm. I 2,74[2]; III 3,19[2]; IV 3,38; V 3,28[1]. *sunt, qui:* Don. Eun. IV 7,16[7]; Hec. III 4,33[6]; Phorm. III 2,1[2]; *multi:* Don. Andr. I 1,29[2]; Phorm. I 3,17[3]. *errat, qui:* Don. Andr. I 1,28[3]; *errant, qui:* Don. Hec. III 4,10[3]; *dubitant*: Don. Eun. IV 7,16[2]. *melius legunt qui . . . applicant:* Don. Eun. II 3,21[6]. Accedunt pauca de pronuntiatione: Don. Andr. V 4,25[3]; Eun. I 2,10[4]; Ad. I 1,1[4]; Phorm. I, 3,7[3] et lectione: Don. Ad. IV 4,10[2]; Phorm. II 1,19[2].

Altero genere agitur de vi vel origine singulorum vocabulorum

alii: Don. Andr. II 5,19[1]; IV 5,6; Ad. III 1,10[2]; IV 1,21[2]; 2,39[1]; Hec. III 2,20[2]; Phorm. I 4,35[2]; II 2,31[2] etc.

Tertio sententiae versuum explicantur:

alii: Don. Andr. III 1,18; IV 1,5[1]; Eun. III 2,5[2]; IV 7,6[3]; Ad. II 3,8[1]; III 2,12[2]; 4,12[3]; V 7,6[2]; Phorm. II 1,65[2]; 2,7[1]; III 2,40[2] etc.

---

[1]) l. c. p. 130 sq.

Quarum adnotationum posteriora quidem genera, cum officium verba ac sententias explicandi semper satis promptum neque difficile esset, levioribus potissimum grammaticis imputabis; sed quin inter eos, qui de distinctione agentes primo in ordine afferuntur, Probus non defuerit, procul fere dubio est, quippe cuius edendi munera supra[1]) tetigerimus. Atque Kaueri[2]) observationes eodem spectant, qui complura illorum scholiorum vocabulis „quidam" etc. auctorum cum interpunctione codicis Bembini congruere animadvertit,[3]) quam a Joviale quodam additam e Probi editione emanavisse ipsi visum est.[4])

Donatum obscurrissimus ille *Euanthius* sequitur, grammaticus Byzantinus eo aetate paulo maior, cuius e commentario in Terentium Rufinus (G. L. VI 554,4) duos locos commemoravit; qui quod in tractatu de fabula corpori Donateo praemisso inveniuntur,[5]) viris doctis magnas difficultates praebuerunt. Nam Usenerus[6]) et Scheidemantelus[7]) commentarios Euanthii et Donati in corpus nostrum Donateum conflatos ac commixtos esse censuerunt; sed Wessnerus[8]) Donatum ipsum cum multa ex Euanthio hausisse tum huius tractatum de fabula aeque ac Suetonii vitam Terentii commentario suo praefixisse veri similius suspicatus est. Quid vero Euanthius in explanationibus suis praecipue observaverit, ex tractatu de fabula clare perspicimus, ubi haec scripsit (Don. comm. ed. Wessner I 19,10 sqq.):

---

1) Supra p. 8 sq.
2) Stud. Vindob. XXII 56 sq.
3) E. g. cum distinctione codicis Bembini congruunt Don. Ad. I 1,18[4]; V 3,19[1]; cf. Kauer, l. l. p. 103; 110.
4) Cum Joviale concinit Don. Eun. I 1,1[7] „. . . Probus distinguit . . . ;" cf. Kauer, l. l. p. 89.
5) Donati comm. rec. Wessner I 17,16; 19,6.
6) Mus. Rhen. XXIII p. 493.
7) Quaestiones Euanthianae, Diss. Lips. 1883.
8) Untersuchungen zur lateinischen Scholien-Literatur, Bremerhaven 1899, p. 14 sq.

„tum personarum leges circa habitum, aetatem, officium, partes agendi nemo diligentius a Terentio custodivit .... haec cum artificiosissima Terentius fecerit, tum illud est admirandum, quod et morem retinuit, ut comoediam scriberet, et temperavit affectum, ne in tragoediam transiliret .... adde quod nihil abstrusum ab eo ponitur aut quod ab historicis requirendum sit ... adde quod argumenti ac stili ita attente memor est, ut nusquam non aut caverit aut curaverit quae obesse potuerunt, quodque media primis atque postremis ita nexuit, ut nihil additum alteri, sed aptum ex se totum et uno corpore videatur esse compositum“ etc. — ne plura: Euanthius artem scaenicam et oeconomiam Terentiii illustravit.[1])

Pergamus ad *Eugraphium*, saeculi sexti grammaticum,[2]) de quo cautissime nos iudicare oportet, cum neque de duabus commentarii formis, quomodo inter se habeant, satis probabiliter exploratum sit neque editio critica in lucem prodierit.[3]) Consilium huius Terentii interpretis his ex verbis clare elucet:

praef. in Andriam p. 173 Klotz: „Cum omnes poetae virtutem oratoriam semper versibus exsequantur, tum magis duo viri apud Latinos, Vergilius et Terentius. Ex quibus, ut suspicio nostra est, magis Terentii virtus ad rationem Rhetoricae artis accedit: cuius potentiam per singulas comoedias, ut possumus, explicabimus.“

Sed Eugraphius quamvis in sententiis Terentii circumscribendis et interpretandis non paulum versatus[4])

---

[1]) Scheidemantelus, l. c. p. 47 sq. tractatum Euanthii secutus Euanthiana e Donateis eruere conatus est.

[2]) De Eugraphio optime meritus est Gerstenbergius, de Eugraphio Terentii interprete, Diss. Jenens. 1886.

[3] Utar editione Eugraphii a. Reinh. Klotz in Terentio suo (1838;1840) secundum vetustiores editiones confecta.

[4]) Se obscuritates illustrare velle Eugraphius ad Phorm. I 1,1 clare pronuntiat.

explanationes suas non ita instituit, ut discipuli artis rhetoricae elementis imbuerentur, sed ut eruditiores lectores rhetoricam Terentii virtutem admirarentur.[1])

Conexum inter Eugraphium et Donatum duplicem esse Gerstenbergius voluit, ratus et illum commentario Donati, priusquam in duorum illorum excerptorum manus incideret, usum esse et postea scholia Eugraphii in compilationem Donateam refluxisse; sed Gerstenbergio Karstenus[2]) scholiis rhetoricis Donati atque Eugraphii accurate examinatis adversatus est.

Hac autem re Eugraphius ad quaestionem nostram maioris est pretii, quod vituperationes apud Donatum defensionibus plane occultatas interdum sine velamine perspicuas reddit ac manifestas (e. g. ad Andr. I 1,34), id quod hoc ni fallor modo explicatur, quod reprehensiones in integro Donato, quem Eugraphius inspexisse videtur, clarius apparebant quam in scholiis nostris excerptis ac decurtatis; nam Eugraphium ipsum grammaticos et criticos, qui ante Donatum fuerunt, cognovisse mihi non probatur, quod ille et rhetor potius quam grammaticus fuit et tales viros nominibus nusquam attulit.[3])

Minoris deinde momenti sunt ea *scholia*, quae duabus manibus in margine *codicis Bembini*[4]) ad Andriam (a versu IV 5,8), Eunuchum, Heautontimorumenon (usque

---

[1]) cf. Karsten in Mnemos. XXXIII (1905) p. 129.

[2]) l. c. p. 125 sq.

[3]) Quicunque formulis „quidam" etc. ab Eugraphio afferuntur, etiam in Donato reperiuntur hisce exceptis:

Eugr. Andr. V 1,13; Eun. V 8,28 (agitur de distinctione); Eun. III 5,50 (de lectione).

Eugr. Andr. V 2,9; Eun. II 3,18 (de vocabulorum interpretatione).

Deinde in Eugr. Eun. III 5,53; V 8,63 (quidam-alii etc.) variae commentatorum sententiae afferuntur, quarum nonnullae apud Donatum non sunt.

[4]) Scholia Bembina edidit Umpfenbach, Herm. II 337 sq.; praeterea cf. Studemund, ann. philol. 1868, 546 sq.; 1882, 51 sq.

ad v. III 2,39), Phormionem, Adelphos adscripta sunt; quae quamvis magnam partem e Donato derivata aeque atque Eugraphius nonnullas reprehensiones exhibent, quarum ne umbra quidem apud Donatum apparet (e. g. ad Eun. II 2,59).

Minimi autem *scholia a Frid. Schlee collecta* aestimaveris; etenim adnotationes in codicibus Victorino, Vaticano, Riccardiano, Parisino conservatae ex auctoribus veteribus (ut e Donato, Servio, Prisciano, Eugraphio etc.) excerptae sunt, reliqui vero commentarii, et antiquior in cod. Monacensi et recentior in cod. Barberino, ex editionibus in usum puerorum brevibus interpretamentis instructis derivati atque tam viles levesque sunt, ut verba poetae tantum explicent vel sententias circumscribant.

Quomodo vituperationes a defensoribus obtectae agnoscantur.

Ea quae artis iudices in poetis reprehenderant, saepenumero defensionibus ita celata esse, ut vix recognoscantur — id quod in Eugraphio scholiisque Bembinis describendis tetigi — Henricus Georgii scholiis Vergilianis diligentissime examinatis ostendit.[1]) Qui v. d., quamquam hac observatione quaestionibus nostris explorandi rationem optime designavit, tamen non omni modo imitandus esse mihi videtur. Nam voces „bene" et „recte"[2]) a scholiastis saepissime usurpatas numquam

---

[1]) I. Die antike Aeneiskritik, aus den Scholien und anderen Quellen hergestellt. Stuttgart 1891.
II. Die antike Aeneiskritik im Kommentar des Tib. Claudius Donatus. Progr. Stuttg. 1893.
III. Die antike Vergilkritik in den Bucolica und Georgica, Philol. suppl. IX (1904) p. 209 sqq.

[2]) „Recte" in scholiis Servianis, Veronensibus etc. nusquam fere, sed in Tib. Claudii Donati paraphrasi Aeneidis saepius reperitur. cf. Georgii II p. 6.

simplicis admirationis ac laudis, sed semper defensionis esse docuit, ita ut adnotationi „bene (vel recte) fecit Vergilius“ criminatio „male (vel falso, vitio) f. V.“ semper antecesserit. Quod etsi in scholiis Vergilianis recte statui non negaverim, tamen hanc vim illorum vocabulorum omnium scholiastarum sermoni communem esse,[1]) quod an non verum esset iam Wessnerus[2]) dubitavit, minime agnosco.

Etenim commentarius Donateus copia voculae „bene“ ita redundat, ut iam numero adnotationum hoc vocabulo exornatorum impediamur, ne rationem quam dicam Georgianam in haec scholia transferamus. Nam quadringenta quadraginta septem vocabula „bene“ in Donato computavimus; quae si in quinque fabulas Terentii (ad Heautontimorumenon commentum Donati non extat) distribueris, in centenos versus Terentianos novenae fere voces „bene“ cadent. Sed in scholiis Aeneidis Henr. Georgii sescenties undenonagies „bene“ vocabulum repperit, ita ut inter centenos versus Aeneidis septeni fere eadem voce exornati sint. Si igitur omnibus his locis laudi vituperationem oppositam fuisse putes (de reprehensionibus apertis nunc non agitur), comoediis Terentii acrius quam Aeneidi obtrectatum esse appareat, id quod nullo modo factum esse videtur; nam de Terentii castigatoribus nihil compertum habemus, sed contra Vergilii obtrectatores iam Asconius Pedianus[3]) librum edidit.

Dubitanti autem an „bene“ in Donato etiam laudativum sit, id ita esse haec facile persuadebunt:

Don. Eun. II 2,5[1]: *o quam bene*
Don. Eun. V 4,41[2]; Ad. II 2,45[3]; Hec. III 1,51: *quam bene*
Don. Ad. IV 2,25[4]: *attende quam bene;*

---

1) cf. imprimis Henr. Georgii I, p. 470 ad Aen. XI 11.
2) Jahresber. vol. CXIII (1902) p. 196.
3) cf. vitam Vergilii p. 66 Reiff. et Ribbeckium in proll. p. 100.

quibus locis vocabulo „quam“ addito certissime laus indicatur non secus atque his locis, ubi pro „bene“ aliud adverbium est:

quam scite: Don. Eun. IV 5,6^{2}; *quam facete:* Don. Ad. I 2,15^{3} (cf. *bene et facete:* Don. Hec. III 5,11^{1})
quam venuste: Don. Eun. II 2,40^{3}; *quam astute:* Don. Eun. V 4,39; *vide quam grate:* Don. Ad. V 4,10^{5} etc.

Tum simillima sunt alia, quibus voce „quam“ omissa de bona arte vel oeconomia Terentii agitur:

Don. Andr. I 1,89^{2} *bene suspendit auditorem.* Quem ad locum Spengel (in edit.) adnotavit: sehr geschickt wird wieder die Neugier rege gemacht.

Don. Andr. II 2,17^{1} Eun. I 2,30^{2}; 109^{3}; III 5,59^{2} Hec. III 5,63^{2}; V 2,5^{4} Phorm. I 2,62^{2}; 3,4^{3}; II 1,6; 24^{2} etc.

Atque eodem redeunt ea scholia, quibus Terentius laudatur, quod fabulas tam scite instituerit, ut numquam in tragoedias transilirent: e. g. Don. Hec. I 2,96^{2}; III 1,4^{4}; qua de virtute poetae etiam Euanthius[1]) disseruit.

Praeterea naturam vocis „bene“ non singularem, sed aliorum vocabulorum ut „mire, proprie“ etc. similem esse inde perspicitur, quod omnia de iisdem rebus promiscue usurpantur; etenim congruunt inter se:

bene et *mire*	*bene* et *proprie*
Don. Eun. III 5,23^{2} — 23^{3}	Don. Eun. II 3,10^{3} — Eun. V 2,60^{1}
Hec. I 1,17^{3} — 17^{4}	Phorm. I 4,23^{2} — Phorm. I 2,5^{3}
Hec. V 3,7^{1} — Andr. I 3,16^{2}	Phorm. II 2,4^{2}: et bene . . . proprie enim
Ad. II 1,50	Phorm. V 8,75^{2}: proprie . . . bene ergo.

Et idem ornatur voce *bene* in Don. Hec. V 3,30^{1}, *mire* Eun. II 2,30^{3}, *venuste* Phorm. II 1,62^{2}, *comice* Phorm. I 2,73^{1}; II 1,22^{2}.

Neque vocabulum „recte“ aliter se habere quam „bene“ his paucis exemplis collatis facile concedas:

---

1) supra p. 20.

Don. Eun. IV 4,28: „taces] et *recte* tacet, quia metuit Chaeream."

Don. Hec. V 4,37: „immo vero scio neque imprudens feci] *recte*: perit enim beneficii meritum, si ab imprudente praestitum videatur."

Hic subsistamus neve in hac re admodum manifesta diutius versemur. Sed talia vocabula etiam defensionem continere posse cum Henr. Georgii consentiendum est.

Ubi vero vox „bene" est laudis, ubi defensionis? Quomodo significationes tam diversae secerni possunt? Itaque cum in intricata hac quaestione cautissime nobis agendum sit, ne iure temeritatis incusemur, *castigatorem vocabulo „bene" tum refutari constituimus;*

I. cum reprehensio rei voce „bene" auctae alio aliquo loco adhuc apparet:

Exemplo est Don. Andr. prol. 3[3]: „quas fecisset fabulas (sc. Terentius)] *bene* »fecisset«, non »scripsisset« unde et poetae a faciendo dicti sunt ἀπὸ τοῦ ποιεῖν."

Quo loco poetam vocabulo „bene" defendi hoc scholio doceris: Don. Andr. prol. 9: „Menander fecit Andriam] et proprie »fecit«; scribit enim Terentius, qui verba adhibet tantum, facit Menander, qui etiam argumentum componit; *sed saepe ad laudem Terentii »fecit« de eo quod est »transtulit«.*"

II. deinde cum scholium voce „bene" auctum ipsum ita comparatum est, ut simplicis laudis esse non possit:

i. e. 1. *cum poeta ideo, quod aliter scribere noluit, voce „bene" condonatur,*

quo redit Don. Eun. IV 6,21[2]: „minus potens quam tu] *bene sic dixit, quia tardum fuit dicere:* ille impotens, tu potens" etc.

2. *cum variae causae, cur poeta „bene" locutus sit, afferuntur, e quibus optimam eligere liceat,*

e. g. Don. Andr. V 2,13[1]: „immo vero indignum Chremes] *bene* ad eum loquitur, qui est a

nuptiis deterrendus *vel* qui non interturbet orationem suam *vel* quem iam sibi precatorem destinet." — Quo loco responsionem servi impropriam fuisse infra accuratius monstrabo.

3. *cum vocabulum „bene" argumentis miris vel falsis confirmatur,*

e. g. Don. Ad. III 4,13[3]: „et *bene* addidit »satis«, ut ⟨sit⟩: etsi pie, non tamen satis." — Hic enim illud »satis« parum apte poni nescio cui visum est, cum Hegio patronus non solum »non satis pius«, sed omnino impius esset, si familiam Sostratae desereret (videas infra).

III. Denique cum loci voce „bene" exornati simplice laude tam indigni sunt, ut nos ipsi mediocri subtilitate usi iis offendamur.

cf. Don. Eun. III 5,56[5]: „⟨an ego occasionem tam insperatam amitterem⟩] et *bene* »insperatam«. aliud enim sibi promiserat." — Quo loco occasionem virginis vitiandae adulescenti in domum meretriciam introeunti insperatam venisse cum iis quae antecesserant verbis dissentire nobis videtur (videas infra).

Quorum ordinum duo postremi (II 3; III), etsi ne temerius iis innitaris periculum est, tamen omittendi non sunt, cum scholiastae reprehensiones radicitus saepe extinxerint.

Atque has normas modo constitutas non solum in „bene", sed in omnibus huiusmodi vocabulis valere arbitror, ita ut sit, ubi poeta etiam vocibus „recte, proprie, melius" etc. defendatur.

Praeterea ad absolvendam quaestionem, quae est de commentarii Donatei compositione, i. e. ad auctores scholiorum in commentario nostro conflatorum secernendos hac ex disquisitione hoc ni fallor proficitur.

Quibuscunque in scholiis Terentius illis vocibus defenditur, ea e commentario Donati ipsius fluxisse mihi

videntur, non quo scholiastae posteriores poetam purgare non potuerint, sed quod reprehensiones ignorabant, quae a veteribus castigatoribus ut a Probo vel Aspro maxime prolatae Donatum non fugerant. Qua in re non vocabulorum „bene", sed scholii defendentis ipsius potissimum ratio habenda est; etenim fieri potuit, ut Donatus ipse Terentium sine voce „bene" defenderet et excerptor quidam scholium hoc vocabulo augeret.[1])

Sed cum Donatum quoque interdum a reprehensorum partibus stetisse sciamus,[2]) defensiones a grammaticis posterioribus contra eum scribi potuisse non negaveris; quod si accidisse suspicaris, vestigium vituperationes Donateae adhuc extare oportet, cum eam a duobus illis commentarii excerptoribus aeque absconditam esse verisimile non sit. Sed talia exempla ob totam Donati indolem multa vel gravia vix reperies.[3])

---

[1]) Videas Don. Phorm. I 2,24[1]: „memini relinqui me d⟨eo⟩ i⟨rato⟩ m⟨eo⟩] . . . sed mihi videtur ad hoc addidisse »meo«, ne esset *ἀμφίβολον*, cui diceret »irato deo«" etc. et 24[3]: „et *bene* »meo«, ne esset *ἀμφίβολον*."

[2]) Henr. Georgii, Aeneiskritik, ad Aen. XI 318; 762; Ribbeck, proll. in Verg. p. 181.

[3]) Vituperavit poetam fortasse Donatus in Don. Phorm. I 2,67[3]: „⟨nescire et⟩ illam cupiebat et metuebat] *vide ambiguitatem*" etc.; et refutatus est hoc loco: Don. Phorm. I 2,67[2]: „nescire pro nesciebat; *sed recte*" etc.

Priusquam in iudicum veterum reprehensiones ipsas inquiramus, adumbrare liceat, quomodo materiem amplissimam disponere in animum induxerimus.

Terentium octo de causis potissimum vituperatum esse repperimus:

1. quod Graecos non accurate imitatus esset
2. quod falsa
3. inter se contraria
4. veri non similia
5. obscura
6. impropria
7. supervacua
8. ab arte grammatica et rhetorica abhorrentia protulisset.

Quarum reprehensionum quattuor ordines priores in res, tres posteriores in formam maxime spectant; obscuritates vero et rerum sunt et formae.

1.

Ordiamur ergo ab iis, quae *de falsa Menandri vel Apollodori imitatione* agunt, ac primo vituperationes iam a Wessnero[1]) expositas repetamus, ut omnia ante oculos habeamus neve quid imagini depingendae desit.

Prima huc referam ea scholia, in quibus defensor quidam castigatori obloquitur ac Terentium non errore inductum, sed conscium ab exemplari suo recessisse contendit.

Don. Eun. IV 4,22[1]: „colore mustellino] *erravit Terentius* non intellegens Menandricum illud »*αὐτός ἐστιν γαλεώτης γέρων*« (fr. 188 Kock) ait autem stellionem, quod animal lacertae non dissimile est maculoso corio, namque ad id genus facies exprimitur eunuchorum corporis, quia plerique lentiginosi sunt. hic ergo erravit ideo,

---

1) In „Aem. Asp." p. 29 sqq.

quia *γαλῆ* mustella dicitur, *γαλεώτης* stellio, *ὥσπερ Ἀριστοφάνης ἐν ταῖς Νεφέλαις* (174) »*ἥσθην γαλεώτῃ καταχέσαντι Σωκράτους*«."

22³: „*At ego † Edisionum sequor, qui recte intellexit Terentium scientem* »*mustellino colore*« *dixisse* eunuchum velut sublivido, quia vere eunuchi aut ex candidissimis lentiginosi fiunt, ut ex Gallis et eiusmodi occidentalibus, aut ex fuscis sublividi, ut ex Armeniis et aliis orientalibus."

Quarum adnotationum priorem viri Terentium carpentis ipsius esse atque eo spectare apparet, quod hic vocabula *γαλεώτης* (i. e. stellio) et *γαλῆ* (i. e. mustella) confuderit. Deinde verbis „at ego" adversarius aliquis inducitur, qui poetam crimine ignorantiae vel levitatis purgare studuit, quod sciens hoc dixisset; illius autem, cuius auctoritate nixus est, † Edisioni nomen adhuc emendari non potuit, sed eum glossographum vel alium grammaticum potius quam Terentii commentatorem fuisse Wessnerus[1]) suspicatus est.

Deinde „ego" quidam castigatorem eadem defendendi ratione refutare conatus est

in Don. Hec. III 4,26³: „magnus rubicundus c⟨rispus⟩] *imperite Terentium* de Myconio »crispum« *dixisse aiunt*, cum Apollodorus (fr. 12 Kock) »calvum« dixerit, quod proprium Myconiis est, ut Lucilius »Myconi calva omnis iuventus« (fr. 1211 Marx), unde etiam proverbium Graecum »*μία Μύκονος*«. *sed ego Terentium puto scientem* facetius Myconium »crispum« *dixisse*."

Qua in re defensori libenter confidemus.

Sequiter scholium, in quo nemine poetam defendente solam vituperationem aspicis:

Don. Phorm. prol. 25: „Epidicazomenon quam vocant comoediam] *manifeste hic errat Terentius*, nam haec fabula quam transtulit »*Ἐπιδικαζομένη*« dicta est a puella, de qua iudicium est, cum sit ⟨alia⟩ fabula »*Ἐπιδικαζόμενος*«

---

[1]) in „Aem. Asp." p. 29.

eiusdem Apollodori (cf. Kock, III p. 285) debuit ergo dicero »Epidicazomenen«.[1])

Ἐπιδικαζόμενος medialis formae vicem obtinet et eum significat, qui petit, ut quid sibi adiudicetur; passiva autem forma *ἐπιδικαζομένη* ea significatur, de qua iudicium est, i. e. quae adiudicatur. Et cum Apollodorus nomen fabulae quam Terentius transtulit et Phormionem appellavit, a puella, non a viro sumpsisset, versum illum „Epidicazomenon q. v. c.“ a veritate abhorrere vir doctus quidam adnotaverat; et nemo poetam defendere ausus est.

Criminationem autem ipsam omnino falsam esse, ut in Dziatzko-Hauleri editione Phormionis p. 68 contenditur, cum Wessnero[2]) negaverim. Titulum fabulae variasse puto, ita ut Terentius suo in exemplari »*Ἐπιδικαζόμενος*«, grammaticus vero suo in exemplari »*Ἐπιδικαζομένη*« legerit; quae inscriptio offensione prorsus vacat, cum passivum *ἐπιδικάζεσθαι* in usu fuisse Schodorfii libro[3]) doceamur. Sed hac in re castigatorem erravisse mihi probatur, quod duas Apollodori fabulas, et *Ἐπιδικαζομένη* et *Ἐπιδικαζόμενος*, extitisse affirmavit: titulum enim posteriorem non aliunde nisi e versu illo Terentiano „Epidicazomenon q. v. c.“ eum coniecisse suspicor, cum eundem poetam simillimos titulos diversis fabulis inscripsisse verisimile esse mihi non videatur.[4])

Sed quis inaccuratam Terentii imitationem vituperavit? Hic recorderis velim eorum, quae de Aspro Wessnerum secutus supra disserui[5]). Qui grammaticus Graecis Terentii

---

[1]) idem fere etiam in scholiis Bembinis ad h. l. legitur.

[2]) in „Aem. Asp.“ p. 32 sq.

[3]) Beiträge zur genaueren Kenntnis der attischen Gerichtssprache aus den zehn Rednern (Schanz, Beiträge zur histor. Syntax der griech. Sprache), Würzburg 1904, p. 50.

[4]) Quem ut in errorem grammaticus doctus facilius incideret, etiam hac re ni fallor fieri potuit, quod *Ἐπιδικαζόμενος* titulus in comicis Graecis saepius occurrit, nempe in Diphilo, Philemone, Anaxippo (cf. Koch, III 285).

[5]) supra p. 12.

exemplaribus collatis harum reprehensionum, quae quam congrue cum Vergilianis eiusdem viri quaestionibus concinant supra vidisti, auctor fuit. Et defensor Terentii nemo alius fuit nisi Donatus, quippe quem commentario Aspri usum esse loci inde allati ostendant[1]) quemque etiam Vergilio contra antecedentium grammaticorum vituperationes patrocinatum esse haec scholia testimonio sint: Serv. Aen. II 557; III 636; VIII 373; XII 529.[2])

Exiguum numerum scholiorum de falsa Terentii imitatione agentium augere frustra conatus sum hoc vero quod addam habeo.

Comicum Romanum a Menandro declinavisse hoc quoque loco adnotatur:

Don. Andr. III 1,15[6]: „serva me obsecro] obstetriciam hanc potestatem Junoni attribuit, quamquam illam Menander Dianam appellet et hoc sentiat in Bucolicis Vergilius (Ecl. IV 10).“ — (Quam eandem rem etiam Eugraphius in l. Ter. tetigit).

Sed hoc in scholio nihil vituperationis inesse inde perspicitur, quod neque „*falso* attribuit Ter.“, sed solum „attribuit“ dictum est et in Verg. Ecl. IV 10 contrariam rem offensioni fuisse videmus. Ibi enim ad versum „casta fave Lucina, tuus iam regnat Apollo“ Servius Danielis hoc scripsit: „sane hic Dianam Lucinam *non immerito* designat“ etc., quibus verbis reprehensionem refutari Henr. Georgii[3]) recte observavit, cum apud Romanos non Diana, sed Juno puerperarum patrona esset.

Denique hoc adiungam, ut quo ratione illa quam dixerim Georgiana duci possis cognoscas. In Don. Andr. I 1,100[3] hoc legimus: „et *bene* »funus procedit,

---

[1]) supra p. 12.

[2]) Ribbeck, proll. 180; 181; Henr. Georgii, Aeneiskrit., in singulos locos.

[3]) Philol. suppl. IX (1904) p. 232.

nos sequimur« dixit quasi: post ipsum morituri. unde et exsequiae dicuntur."

Ubi si miro laudis argumento nimis confidas, Terentium antea vituperatum fuisse putes et hoc afferas: Fabula est palliata et mores, quibus personae apud Menandrum utuntur, sunt Graecorum. Sed cum more Graecorum viros funus non sequi, sed anteire scias — qua de re lex Solonis est: *βαδίζειν δὲ τοὺς ἄνδρας πρόσθεν ὅταν ἐκφέρωνται, τὰς δὲ γυναῖκας ὄπισθεν* (Demosth. XLIII 62), — Terentium hoc loco a Menandro aberravisse Asper adnotaverat, contra quem Donatus defensoris munere functus est.

Sed hoc scholium sicut multa a grammatista quodam interioris sensus atque insanae sapientiae studioso commentario Donati additum esse nonne veri est similius? Ego quidem Asprum hic refutari certo negaverim; sed ne quis bonum defendendi exemplum a me neglectum esse dicat, hunc locum praeterire nolui.

2.

Sequntur ii loci, in quibus *imperitia Terentii* reprehensa est; inter quos scholium Don. Andr. III 2, 3, quod exemplorum antecedentium simillimum et iam a Wessnero[1]) tractatum est, primum commemoremus. Videas ergo quam vehementer defensor in castigatores invectus sit!

Don. Andr. III 2,3[1]: „nunc primum fac ista ut lavet] *imperitiae notantes Menandrum aut Terentium ipsi ultro imperiti inveniuntur,* nam et ille »*λούσατ' αὐτήν*« dicens a consuetudine non recessit, † cum lavisse se aut non lavisse a parte totum significantes †, et Terentius propius ad significationem accessit »ista« dicendo, ne pudenda nominaret."

---

[1]) in „Aem. Asp." p. 30.

Quo cum scholio coniungendum est Don. Andr. III 2,33: „fac ista ut lavet] »ista« quae ex puerperio sordebant. *quidam* »ista« ipsam puerperam dicunt — sic enim et Menander »λοῦσατ᾽ αὐτὴν αὐτίκα« (fr. 41 Kock) — *sed imperitiae accusantur,* quod non continuo solent post puerperium lavare, sed diebus omissis."

Utrumque hoc scholium ex una eademque Donati adnotatione derivatum[1]) — nam commentarius noster a duobus genuini commentarii Donatei excerptoribus originem duxit[2]) — quid illud „fac ista ut lavet" sibi vellet, dubium fuisse diserte declarat. Si „lavet" transitivum esse putas, „ista" sunt „ea, quae ex puerperio sordebant;" sed si „lavet" pro „lavetur" accipis, „ista" Glycerium est. Et hunc sensum his in verbis inesse Menandro collato castigator, nempe Asper, censuit et cum Menandro Terentium rationis medicae imperitum esse arguit, cum puerperae non ipso puerperii die, sed aliquanto post lavari solerent.

Sed defensor, nempe Donatus, Asprum ipsum ignarum esse neque poetas recte interpretari posse contendit; in Menandro enim illud „λοῦσατ᾽ αὐτήν" totum pro parte esse, in Terentio autem illud „ista" ea, quae nominare poeta veritus esset, „pudenda" significare. Itaque nec Menandrum a consuetudine recessisse et Terentium propius ad significationem accessisse.

Neque Eugraphius quaestionem praeteriit hoc in l. Ter. adnotans: „Ea quae peperit, ratione medica ad lavacrum compellitur, ut dolor desinat. Sed melior sensus est »nunc primum fac ista ut lavet«, ut illa scilicet, quae immunda sunt sanguine parturientis laventur."

---

[1]) Neutrum scholium sic, ut nunc quidem legimus, a Donato ipso scriptum esse Wessnerus l. l. recte observavit.

[2]) Conferas ea, quae de origine commentarii nostri supra p. 14 attuli; praeterea videas Wessnerum in „Aem. Asp." p. 36.

Hic igitur rhetor Donati sententiam veri similiorem esse censet; sed qui nunc sunt Terentii interpretes[1]) vocem „ista“ eam, quae peperit, i. e. Glycerium significare iure malunt cum Aspro.

In iis, qui adiunguntur, locis defensor castigatoribus lenius adversatus est.

Don. Andr. I 1,40: „sapienter vitam i⟨nstituit⟩: n⟨am⟩-q⟨ue⟩ h⟨oc⟩ t⟨empore⟩ o⟨bsequium amicos veritas odium parit⟩] *improbatur a sapientibus haec sententia,* nam obsequium adsentator debet, amicus veritatem. sed in theatro dicitur, non in schola.“

Qua cum adnotatione cohaerent:

Don. Andr. I 1,41[2]: „et est *sententia* παράδοξος et magis theatro apta quam officio, de qua Tullius multa dicit,

et 41[3]: „ἀμφίβολος *sententia* et probabilis magis quam necessaria aut honesta.“

Atque illi „sapientes“ parum honesto huius versus praecepto offensi philosophi potius fuerunt quam grammatici, et inter philosophos maxime Cicero, cuius in scholio 41[2] (et 41[1]; cf. infra) mentio fit quique in Laelio 24,89 hoc scripsit: „Sed nescio quo modo verum est, quod in Andria familiaris meus dicit: »obsequium amicos, veritas odium parit«. Molesta veritas, siquidem ex ea nascitur odium, quod est venenum amicitiae, sed obsequium multo molestius, quod peccatis indulgens praecipitem amicum ferri sinit; maxima autem culpa in eo, qui et veritatem aspernatur et in fraudem obsequio impellitur. Omni igitur hac in re habenda ratio et diligentia est, primum ut monitio acerbitate, deinde ut obiurgatio contumelia careat. In obsequio autem, quoniam *Terentiano verbo* lubenter utimur, comitas adsit, adsentatio, vitiorum adiutrix, procul amoveatur etc.“

Sed Eugraphius hac reprehensione prorsus neglecta numquam sententiam Terentianam non valere affirmavit,

---

[1]) cf. Spengel in Andriae editione ad h. l.

ita ut hunc rhetorem ea laudibus extulisse conspiciamus, quae Donatus licentia theatri excusare vix conatus est (cf. sch. 40 et 41[2]).

Iam intricatior fiet res, si hoc scholium legeris:

Don. Andr. I, 1,41[1]: „huius versus pars improbior est »veritas odium p.« *falsum est autem, quod Cicero putat* »obsequium« primo dixisse Terentium, cum et Plautus et Naevius ante dixerint".

Quam Ciceronis criminationem iniustam esse facile apparet; nam „Terentianum" verbum illud est, quod in versu Terentii supra commemorato occurrit.

Itaque cum is, qui Ciceronem in Donato vituperavit, locum illius male intellexisset, Karstenus[1]) scholium Don. Andr. 1,41[1] stulto cuidam interpolatori commentarii Donatei imputavit; veri parum similiter! Unde enim aliquis posterioris aetatis grammaticus Plauti et Naevii cognitionem hauserit? Porro qui fit, ut eandem falsam interpretationem Ciceronis in Quintiliano legamus: „idem (sc. Cicero) putat a Terentio primum dictum esse »obsequium«" (inst. or. VIII 3,35)? An interpolator hunc Quintiliani locum noverat? Quod ne factum putemus hoc est impedimento, quod Quintilianus neque Ciceronem vituperavit neque Plauti Naeviique mentionem iniecit. Sed iam ante Karstenum Rabbow[2]) collato scholio Don. Phorm. II 3,25[2] (B) „male loqui] pro male dicere. et *quaerit Probus*, quis ante Terentium dixerit" Berytium illum Ciceroni obtrectasse satis probabiliter coniecerat. Neque ergo interpolator parum diligens, sed celeberrimus Romanorum grammaticus Ciceronem male intellexit, cuius verborum Ciceronianorum explicationem reprehensione omissa Quintilianus accepit.

---

[1]) In Mnemos. XXXII (1904) p. 228 sq.

[2]) De Donati commento in Terentium specimen observationum primum. Ann. philol. 1897, p. 313.

Sed ad Terentium redeam et pergam ad Don. Andr. prol. 18[1]: „qui cum hunc accusant Naevium Plautum Ennium a.] in singulis magna ἔμφασις auctoribus, sed *ordo non est servatus*: Ennius namque ante Plautum fuit. sed quod est summum auctoritatis, Ennium ultimum dixit."

Quam vituperationem, cum eam ex prioribus Terentii commentatoribus depromptam esse nulla re indicetur, Donatus ipse protulisse et ipse revocavisse mihi videtur. Ceterum cum non Terentius, sed scholiasta veterum poetarum tempora ignoraverit,[1]) quam iniuste ille reprehensus sit vides.

Ne quid omittam, hoc scholium quod an non huc redeat dubito, agmen claudat:

Don. Andr. I 1,29[2]: „⟨studium adiungant⟩ aut equos alere aut canes ad venandum ⟨aut ad philosophos⟩] sic et equos ad venandum alunt, quomodo canes; quod *multi docti improbant*, ut dicant, separata esse et »ad venandum« extra rationem esse pro »ad venatum«."

Quo in exemplo illos viros doctos[2]) non Terentium, quem eundem atque ipsi suspicati sunt sensum efficere voluisse persuasum haberent, sed solam illam distinctionem »equos sicut canes ad venandum alere« vituperavisse mihi quidem probatur.

Hanc vituperationem defensionibus obtectam aperui:

Andriae prologus his ab versibus initium capit:

„Poeta quom primum animum ad scribendum adpulit,
id sibi negoti credidit solum dari,
populo ut placerent, quas fecisset fabulas."

Quae ad verba haec in Donato adnotata sunt: Don. Andr. prol. 1[3] „poeta cum primum animum] *meritum* iam poetae dedit »poetam« eundem dicendo."

---

[1]) cf. Ritschl, Parergon Plautinorum Terentianorumque (Lips. 1845) vol. I 47 sqq.

[2]) Fortasse Probum vel Asprum, quos in distinguendis poetae verbis operam collocavisse supra p. 8; 12 viderimus.

et prol. 3[3]: „quas fecisset fabulas] *bene* »fecisset«, non »scripsisset«. unde et poetae a faciendo dicti sunt, *ἀπὸ τοῦ ποιεῖν.* sic Vergilius (Ecl. III, 86) etc.“

Quod utrumque scholium quid sibi velit alio hoc collato perspiciemus:

Don. Andr. prol. 9[2]: „⟨Menander fecit Adriam et P.⟩] et proprie »fecit«, scribet enim Terentius qui verba adhibet tantum, facit Menander, qui etiam argumentum componit. *sed saepe ad laudem Terentii »fecit« de eo quod est »transtulit«.*“

Cuius adnotationis verba exeuntia certo in Andr. prol. 1 et 3 spectant, quibus in versibus Terentius nescio cui offensioni fuit, quod ipse se poetam esse et fabulas facere dixisset, etsi Menandrum tantum transtulisset; itaque vocabula »bene« in Don. Andr. prol. 3[3] et »meritum« in Don. Andr. prol. 1[3] non simplicis laudis, sed defensionis esse plane patet.[1])

Neve Don. Andr. prol. 26 „posthac ⟨quas⟩ faciet (sc. Terentius)] scribet“ praetereamus, quo loco verbum „facere“ pro „scribere“ usurpatum esse scholiasta brevissime praedicat.

3.

Sed iam de iis dicendum erit, quae ut *inter se pugnantia* viros doctos veteres offenderunt.

Ad Pamphili verba (Andr. II 3,26 sq.) „puerum autem ne resciscat mihi esse ex illa cautiost. nam pollicitus sum suscepturum“ has Donati adnotationes reperimus:

Don. Andr. II 3,26[1]: „puerum autem ne resciscat] *videtur hoc illi contrarium esse,* quod dixit (I 3,14) »quicquid peperisset d⟨ecreverunt⟩ t⟨ollere⟩«. sic ergo solvitur: quod

---

[1]) Vocabulum „merito“ reliquis locis ut Don. Andr. II 2,7[2]; Eun. II 2,38[3]; IV 7,6[3]; Phorm. I 1,9[4]; Eugr. Andr. I 1,119; II 5,7 etc. merae laudis est; sed etiam in Don. Eun. V 5,9 ad defensionem prope accedit.

ibi servus cum stomacho dixit, hic tamen Pamphilum verecunde locutum accipimus."

26²: „puerum autem ne r.] num devinat an »puerum« pro quolibet sexu — ut Graeci *παῖδας*? Homerus (Il. I 255) »*Πριάμοιό τε παῖδες*« et Horatius (c. I 12,25) »dicam et Alcidem puerosque Ledae«."

Vituperatio in altero scholio (26¹) pronuntiata, qualis fuerit altero scholio (26²) clare indicatur. Etenim Andriae versus II 3,26 et I 3,14 inter se congruere nescio quis negaverat, cum in altero „puerum", in altero „quicquid" partum esset, sive filiam sive puerum, a Pamphilo sublatum iri diceretur. Defensiones vero, quarum prior ex personarum gestu, posterior probabilius[1]) ex arte grammatica argumentum petivit, diversis commentatoribus vindicandas esse apparet.

Sed videas velim quam mire Karstenus[2]) locum nostrum interpretatus sit. Qui v. d. contrarium in eo positum esse arbitratur, quod Davus I 3,14 cum stomacho „decreverunt" dixit, cum Pamphilus consilium tollendi verbis „pollicitus sum suscepturum" (II 3,27) verecundius expressisset. Sed Karstenum tam apertam quam supra exposui rem non vidisse quis est qui non miretur?

Porro agitur de Eun. III 5,2 sq., ubi Chaerea virgine vitiata e domo meretricia exiens haec secum loquitur: „num quis hic est? num quis hic me sequitur? etc." Hunc ad versum Eugraphius adnotavit: „ . . . *sed quod sequitur, repugnat.*"

Quae repugnantia nulla in alia re nisi in hac inerat, quod Chaerea Antiphonem subito occurrentem his verbis paulo infra (v. 12 sq.) inclamavit: „o festus dies ⟨es⟩ hominis: amice salve! ⟨o mi Antipho⟩, nemo hominumst, quem ego nunc magis videre cuperem quam te."

Hoc enim loco voce „magis" addita Chaeream etiam

---

[1]) Spengel in editione Andriae ad h. l.

[2]) in Mnemos. XXXII p. 236.

alios praeter Antiphonem desideravisse intellegendum fuit, id quod cum anxio Chaereae animo et verbis paulo ante (v. 2 sq.) pronuntiatis minime congruere Eugraphio visum est. „Eugraphio“ dixi; sed hocine verum est? Immo, iam Donatum hanc Terentii vituperationem notam habuisse et refutavisse hoc scholio docemur:

Don. Eun. III 5,12[4] „salve nemo est quem ego nunc magis] *bene additum »magis«,* ut his amicis antepositum se intellegat, quos cum cupiat videre Chaerea, tamen magis neminem cupit.“

Et vide quam audax defensor sit, qui etiam alios a Chaerea adulescente eunuchi veste induto exspectatos esse affirmet.

Deinde in Eun. V 5,21 sq. Parmeno servus mendaciis Pythiadis ancillae perterritus malam quam putavit fortunam Chaereae adulescentis seni hisce verbis renuntiat: „is pro illo eunucho ad Thaidem hanc deductus est . . . hunc pro moecho postea comprendere intus et constrinxere.“

Quem ad locum complura Donati scholia in eandem reprehensionem spectantia extant:

Don. Eun. V 5,22[2] „hunc pro moecho postea] *bene* studuit Terentius »pro« bis numero dicere: et »pro eunucho« et »pro moecho«. *»pro moecho« autem quasi excusans dixit; nam vere* in virginem Atticam *non »pro moecho«, sed »moechus«.*“

22[3] „. . .] *bene* utrumque »pro«, quia neque eunuchus est qui vitiavit virginem, neque moechus qui in domo meretricia.“

22[4] „et specta quam *oratorie* transilierit mentionem vitiatae virginis: »pro moecho« inquit, ut culpam Chaereae sub meretricis accusatione celaret.“

22[5] „. . .] *bene τὸ* »pro«, quia neque eunuchus, qui ephebus, neque adulter, qui amator.“

Et cum scholio Don. 22[3] Eugraphianum hoc congruit

„*bene* ita »pro moecho« dixit, quia in domo meretricis moechi crimen nullum est.“[1])

Quae omnia ei, cuius forma e scholio Don. 22[2] adhuc elucet, vituperationi respondent: Quomodo „pro moecho“, cum Chaerea vere moechus fuerit?

Atque inaccuratus qui putabatur Terentii sermo in Don. 22[2] et clarius in Don. 22[4] oratoriae virtuti poetae recte attribuitur, sed in Don. 22[3] et 22[5] et ab Eugraphio argumentis admodum miris defenditur. Hartmanum[2]) autem scholium Don. 22[3] recte adnotatum esse censentem tota quaestione inspecta aliter iudicaturum esse spero.

Deinde hoc scholium cum ea quam modo tractavi quaestione cohaerere mihi videtur:

Don. Eun. II 3,84[6]: „⟨facile ut pro eunucho probes⟩] et simul honeste non dixit, quod erat rectum, ut »eunuchum probes«, sed »pro eunucho«, ne esset contumeliosum in Chaeream.“

Quae verba, cum praepositio „pro“ hoc loco offensione omnino careat, stultum quendam interpolatorem

---

[1]) Praeter hunc locum nullum, in quo poeta voce „bene“ defendatur, in Eugraphio invenio; sed hoc vocabulum ab illo rhetore saepius usurpatum reliquis locis semper laudis est, cum haec inter se respondeant:

„bene“ Eugraphii et „mire“ Donati ad Andr. I 1,127; Hec. IV 3,5; „bene“ Eugraphii et „proprie“ Donati ad Eun. III 2,13 (Don. 13[3]); Phorm. I 4,20 (Eugr. 22 Klotz) „bene“ Eugraphii et „bene“ Donati certissime laudativum ad Eun. prol. 9 (Don. 9[2]); Phorm. I 2,31. II 1,43 (Don. 43[2]).

Neque in his, quibus in Donato nihil respondet, vocabulis „bene“ Eugraphianis defendendi vis inest: Eugr. Andr. I 1,110; Eun. II 3,62; III 3,25; V 4,41.

Heaut. I 1,23; II 3,79; III 1,18; 2,26; 43; III 3,32; IV 6,14.
Eun. III 1,56 (bona quaestio); Phorm. III 1,13 (bonum ordinem).

Si ergo Eugraphium in scholio ad Eun. V 5,22 vocem „bene“ defensionis vi praeditam e Donati scholio 22[3] deprompsisse putaveris, illum rhetorem vocabulo „bene“ poetae tum solum patrocinatum esse patebit, cum Donatum imitatus est.

[2]) Hartman, de Terentio et Donato, Lugd. Batav. 1895 p. 75.

adiecisse suspicor, postquam quaestionem in Don. Eun. V 5,22 de voce „pro“ motam legit.[1])

Sequuntur loci voce „bene“ exornati, quos inde quod eos laude atque admiratione indignos esse putamus, antea vituperatos fuisse suspicamur.

Chaerea amico, quid in domo meretricia acciderit narrans in Eun. III 5,57 sic pergit: „an ego occasionem mihi ostentatam tam brevem, tam optatam, tam insperatam amitterem?“ Quae ad verba Donatus hoc adnotavit:

Don. Eun. III 5,56[5]: „et *bene* »insperatam«. aliud enim sibi promiserat, ut supra diximus (ad v. 36), non quod pictura occasioque persuasit.“

Hic Chaereae occasionem virginis vitiandae insperatam venisse cum versibus antecedentibus congruere nescio quis ni fallor negaverat; etenim iis verbis, quibus Chaerea eunuchum in domum meretricis ingressurum felicem aestimavit: „o fortunatum istum eunuchum! . . . cibum nonnumquam capiet cum ea, interdum propter dormiet“ (II 3,73; 76) et quibus Parmeno paulo infra (II 3,81) introeundi consilium Chaereae confirmavit: „cibum una capias, adsis, tangas, ludas, propter dormias“, adulescentem talia sibi promisisse et illius occasionis gratia potissimum periculoso conatui se accinxisse intellegendum fuit.

Ac fortasse id, quod Donatus ad Eun. III 5,36 (qui locus in Don. Eun. III 5,56 affertur) de obscoena illa tabula picta dixit, eodem redit:

Don. Eun. III 5,36[1] „respectans tabulam quandam pictam] *bene* accedit repente pictura ad hortamenta aggrediendae virginis, ideo quia non ad hoc venerat Chaerea, ut continuo vitiaret puellam, sed ut »videret, audiret esset-

---

[1]) cf. Cic. in Verr. V 78: quem pro illo probare velles; pro Mil. 65.

que una« (cf. v. 26), cum nihil amplius cogitare ausus fuerit, usque dum picturam cerneret.“

Quam tabulam cum ἀπίθανον πλάσμα,[1]) tum de causis supra commemoratis superfluam esse fieri potuit ut adnotaretur.

Deinde haec quoque exempla admodum incerta in harum vituperationum genere posueris:

In Andriae versibus II 6,12—15, quibus magnam commutationem animi Pamphili factam esse Davus servus ostendit, haec scribuntur: „dum licitumst ei dumque aetas tulit, amavit, tum id clam: cavit ne umquam infamiae ea res sibi esset, ut virum fortem decet.“

Atque in Don. Andr. II 6,13¹ haec legimus „tum id clam] *bene* »clam«, quia nunc liquido apparet Pamphilum voluntatem propositumque mutasse.“

Quo loco is ni fallor voce „bene“ refutatur, cui Pamphilum clam patre atque omnibus amavisse cum Andr. I 1,104—5 dissentire visum est, ubi narratur: „ibi tum exanimatus Pamphilus bene dissimulatum amorem et celatum indicat.“

Neve praetereamus scholium

Don. Andr. V 2,14¹ „nescioquis senex modo venit] *bene* »nescioquis«, etenim si notus esset videretur gratificari.“

Quem ad locum hoc fortasse adnotatum fuit: quomodo „nescioquis“, cum hunc hospitem „Critonem sobrinum Chrysidis“ (IV 5,6) esse Davus audivisset? Sed cum defensore, si modo fuit, libenter consentiemus.

Denique fortasse in Andr. V 4,32 verba Chremetis „is (sc. frater) hinc bellum fugiens meque in Asiam persequens proficiscitur“ offensionem aliquam praebuerunt. Etenim verbis „in Asiam“ et „persequens“ coniunctis (quae coniunctio ordine vocabulorum postulari videtur) quaesiverit quispiam: quomodo „in Asiam persequens“, cum

---

[1]) supra p. 10.

Phania frater in Andro insula iam mortuus esset (cf. v. 20; 25)? Quali quaestioni hoc Donati scholium ni fallor respondet:

Don. Andr. V 4,32¹ „meque in Asiam p. p.] *bene* »in Asiam«, ubi bellum non erat, sed in Graecia."

Sed si „in Asiam proficiscitur me persequens" coniunxeris,[1]) omnia recta erunt.

Quis autem omnibus his locis castigatoris munere functus est? De Valerio Probo cogitare licet, quippe quem ad Aen. IX 369 contrarii aliquid adnotavisse supra p. 10 exposuerim.

4.

Tum postquam ad ea, quae *veri parum similia vel incongrua* in Terentio a veteribus investigata sunt, venimus, iterum ab exemplo iam a Wessnero[2]) peracto incipiamus.

Eugraphius ad Andr. I 1,30[3]) hoc scripsit: „ne quid nimis] *quidam arguunt Terentium, quod istam sententiam dederit servo,* quam sapientium summus ex septem protulisse dicatur. *quae quidem res non digna reprehensione est,* nam primo omnium in hominibus natura, id est sensus aequalis est. Ita concipere et servus potest cum virtutibus ingenium, quod omnibus sit aequale naturaliter attributum. Deinde fieri potest, ut ista sententia iam a sapiente dicta percrebuerit et omnium in ore versetur; neque enim Terentius vel quilibet alius hoc a se comprehendit, unde et servus, non tamen ut callidus, auditam rem potuit in sermonibus collocare."

In Eugraphio et vituperatio et verbosa defensio in aperto sunt; Donatus solam alteram exhibet:

Don. Andr. I 1,34²: „*sententia non incongrua servo,* quia et pervulgata. et non refertur ad personam modo (sic

---

[1]) Spengel in edit. ad h. l.

[2]) in „Aem. Asp." p. 31.

[3]) in Klotzii editione: Eugr. Andr. I 1,34.

Rabbow; domini: codd.) dicentis, sed de quoquo (sic Heraeus; de quo: codd.; sed quotidie: Rabbow) dicitur.“

Ab utroque autem, et a Donato et ab Eugraphio, hanc reprehensionem „sententia servo incongrua“ refutari apparet.

Cuius rei simillimam aliquam etiam in Vergilio et castigatam et defensam esse hinc perspicimus:

Serv. Aen. X 861: „Rhaebe, diu, res si qua diu mortalibus ulla est] *hoc loco notant Vergilium critici,* quod homini sacrilego dedit prudentem sententiam, quam rem ratio naturalis excusat: ea enim quae per naturam movent animos, in quamvis personam cadunt, illa vero tantum sunt prudentium, quae non nisi consilio et ratione deprehenduntur. unde *et Terentius servis dat plerumque sententias prudentissimas* quidem, sed quae se per naturam offerunt cunctis ut »ne quid nimis«.“

Atque idem Vergilii vitium in Serv. Ecl. II 65 nemine defendente reprehenditur: „trahit sua quemque voluntas] *notatur a criticis,* quod hanc sententiam dederit rustico supra bucolici carminis legem aut possibilitatem.“

Vergilium a Donato Servii auctore in Aen. X 861 purgatum esse iam Henr. Georgii[1]) suspicatus est, et Vergilium ac Terentium ab Aspro ob incongruas personarum sententias carptum esse Wessnerus[2]) inde, quod Donatus commentariis eius in utrumque hunc scriptorem conscriptis usus esset, probabiliter conclusit; cuius v. d. sententiae, quod quidem ad Andr. I 1,30 attineat, fundamentum paulo firmius substruamus.

Similem enim reprehensionem in Don. Eun. IV 5,10[3] legimus: „nisi quia correxit miles, quod intellexi minus] *hoc videtur sapientius et facetius dici quam ab ebrio rustico adulescentulo debuisset.* hoc vitium tunc fit, cum ingenium suum poetae in personas conferunt.“

---

1) Aeneiskr. p. 467.
2) in „Aem. Asp.“ p. 31.

Quam vituperationem non ab alio nisi ab Aspro prolatam esse testimonio est

Don. Eun. III 3,1[1] „. . .] haec persona apud Menandrum adulescentis rustici est;" nam Menandrum solo ab hoc grammatico Romano inspectum esse cum Wessnero consentio.[1])

Quin ergo eiusdem modi reprehensio in Don. Andr. I 1,30 eundem auctorem, nempe Asprum, prodat, dubium esse mihi quidem non videtur. Donatum vero illud „vitium" in Eun. IV 5,10 Terentio crimini datum[2]) verbis suis potius confessum esse quam excusasse non praeterierim.

Ceterum quaestio de sententiis incongruis mota horum scholiorum origini aliquam lucem affert:

Don. Eun. I 1,12: „ere quae res in se neque consilium neque modum habet ullum] concessum est in palliata poetis comicis servos dominis sapientiores fingere, quod idem in togata non fere licet."

Don. Eun. III 1,56[2]: „et hoc miles ut sapiens locutus est. ergo meminisse convenit ridiculas personas non omnino stultas et excordes induci a poetis comicis, nam nulla delectatio est, ubi omnino qui deluditur nihil sapit."

praeterea Don. Eun. IV 5,6[2]; 7,19[1]; Phorm. I 1,7[4]; 2,88[1]; Eugr. Eun. II 2,45.

Hinc ad criminationes paulo diversas recta traducimur; inter quas eas, quae defensorem reprehensori acerrime obloquentem exhibent, primas enumeremus.

In Phorm. V 9,16 Nausistrata matrona de furtivo mariti matrimonio a Phormione parasito certior facta exclamat: „mi homo, di melius duint", quae ad verba hoc scholium in Donato legimus:

Don. Phorm. V 9,16: „mi homo di melius duint]

---

1) cf. supra p. 13.

2) Quo in genere Terentium minime peccavisse Euanthius (supra p. 20) clare praedicavit.

quaerit Probus, an matrona tam familiariter recte dicat alieno, *sed frustra:* nam feminarum oratio, etsi non blanditur, blanda est."

Et cum Donatus ea, quae similia supra p. 43 sq. illustravi, contra Asprum tuitus sit, defensionem „sed frustra" eidem tribuam, sive vituperationem Probi ex hoc ipso sive ex Aspro hausit.

Ad Andr. V 4,18, quo loco Crito se neque sycophantam esse neque „istaec", i. e. rem Pamphili, „movere aut curare" Simoni obiurganti respondet, haec in Donato adscripta sunt:

Don. Andr. V 4,18³ „et *quaere,* an conveniant haec verba pro Pamphilo venienti. — *immo* enim conveniunt; nam quanto magis dissimulat favorem, tanto plus acquirit ad ea, quae loquitur."

Hoc quoque loco et adversarius et patrocinator poetae clare se offerunt, quorum quin alter Probus, cuius ipsius verba in scholio nostro conservata esse videntur, alter Donatus fuerit, eo quod antecedit exemplo collato vix dubitabis.[1])

In Eun. V 2,39 Chaereae se non contumeliae, sed amoris gratia virginem vitiavisse affirmanti Thais meretrix respondet: „Scio." Quod ad vocabulum hoc a Donato adnotatum esse reperimus: „unde sciat Thais *inepte quaeritur,* cum ipsa res clamet numquam hanc condicionem, ut pro servo se fingeret, subiturum Chaeream sine amoris impulsu."

Ac defensori statim assentiemur. Profecto res non digna fuit, quae castigaretur! An reprehensor bonas meretrices a Terentio primo in scaenam inductas[2]) ludibrio habuit, cum Thais ne Chaereae quidem aliquid mali in animo fuisse crederet? — Neque hanc Terentii vitupera-

---

[1]) iam Rabbow l. l. p. 313 hoc vidit.

[2]) cf. imprimis Euanth. de fab. III 4 (in Don. rec. Wessner vol. I, 19).

tionem sicut antecedentes Probo vindicare dubito, quippe qui etiam in Vergilio[1]) de rebus exilibus humilibusque quaesiverit.[2])

Sequitur Eun. III 5,16 (Fleck.), quo loco Antipho Chaereae an puellam a fratre amatam noverit interroganti haec respondet: „novi; nempe, opinor, Thaidem;" quae verba ideo, quod Chaerea ipse hanc meretricem quamvis vicinam et a fratre amatam ignorabat[3]), viro cuidam docto offensioni fuerunt.

Itaque in Don. Eun. III 5,15[1] hanc vituperationem conspicimus: „*quaeritur,* an veri simile sit Antiphoni notam esse Thaidem, quam frater ipse nesciverit."

Ac statim sequitur defensio: „*sed intellegere debemus* modo notitiam non vultus sed famae positam esse, quam famam potuit ex Phaedria et Antipho scire. at vero aliam notitiam negaverat Chaerea sibi fuisse cum Thaide, hoc est visus, [vultus] oris et corporis."

Duplice ergo notitiae genere scholiasta, nempe Donatus — Probum enim etiam hoc loco Terentium carpsisse iam Rabbow (l. l.) coniecerat — poetae patrocinari studuit. In Eun. II 3,67 verbis Chaereae: „sed istam Thaidem non scivi nobis vicinam. — Perii, numquamne etiam me illam vidisse" hoc dictum esse putavit: vultus formaque meretricis Chaereae ignota fuerunt; in Eun. III 5,16 autem Antiphonem se fama tantum, non oculis eam

---

1) supra p. 11.

2) Iam Rabbow l. l. de Probo hic agi suspicatus est. — Fortasse etiam hoc non prorsus neglexeris, quod Probus, ἐνστατικός Romanorum grammaticus, quaestionis forma maxime usus esse videtur: Don. Phorm. II 3,25[2] (B); V 9,16: quaerit Probus; Serv. Dan. Aen. III 83: licet P. quaerat; Serv. Aen. VI 782: Trogus et P. quaerunt; Serv. Aen. X 18: hunc locum P. quaerit. — Sed ne huic rei nimiam fidem habeamus, scholium Don. Phorm. I 4,4[2] „Nigidius quaerit" impedimento est. cf. etiam Wessnerum in „Aem. Asp." p. 22.

3) cf. Eun. II 3,67.

novisse confiteri censuit. Et recte quidem; nam Antiphonem puellam non conspectu notam habuisse responsione eius „novi; nempe, *opinor,* Thaidem" indicari mihi videtur.

Porro nomen meretricis non solum per Phaedriam (cf. schol. 15[1]), sed etiam per Chaeream ipsum Antiphoni innotescere potuisse contenditur in scholio Don. Eun. III 5,16[2]: „novi nempe [ut] opinor Thaidem] *verisimile est* haec scire Antiphonem, qui adeo sit familiaris Chaereae" etc.

Ceterum iam in Don. Eun. II 3,68, quo in versu Chaerea se meretricem ignorare dicit, vituperationis in Don. Eun. III 5,16 prolatae mentio fit:

sch. 68[3] „haud diu est] vicina scilicet. et est *causa, an veri simile sit* nescire potuisse (sc. Chaeream) vicinam."

Sed pergamus ad Don. Eun. IV 4,55[1]: „hac re et te omni turba evolves] *causa quaesita,* cur ante iurgium cum milite Thais nesciat vitiatam virginem."

Haec aguntur in scaena: Thaide absente virgo in domo meretricia a Chaerea vitiata est, quod factum esse ancillae Thaidem celare constituunt.

Sed pro gravitate rei, quae dominae statim indicanda fuit, hoc veri parum simile esse nescioquis (fortasse Probus) iudicavit; quod cum nemo defendere audeat, variae coniecturae de consilio poetae afferuntur:

Don. Eun. IV 4,53[4]: „tu pol si sapis quod scis nescis] *videamus,* cur nolit poeta de vitio virginis continuo scire Thaidem: utrum ne improviso malo vehementius commoveatur ac doleat? an ut ex eiusdem virginis habitu vultuque ista cognoscat, quod est actuosius? an quod proximum vero est ut illam et Thais et frater ignorantes vitiatam animosius adversum militem defendant repetitum eam venientem cum tanto strepitu ac minis?" etc.

Sed paulo post scholiasta audacior fit, ita ut ad defensionem apertam progrediatur:

Don. Eun. V 1,1[1]: „pergin scelesta mecum perplexe loqui] nunc demum virgo vitiata esse cognoscitur a

Thaide *opportune*,[1]) postquam magnopere et defensa est et retenta."

Iis, qui nunc sequuntur, locis defensore tacente reprehensiones ad unam fere omnes levissimae proferuntur:

schol. Bemb. Eun. II 2,59 (Herm. II p. 358): „et in hoc *Terentius vituperatur*, quod adulescentem in hoc publicum munus . . . stud . . ."

Cuius adnotationis sensus, etsi lacuna certo suppleri non potest, perspicuus est: Terentius ideo, quod adulescentem munus publicum tam temere neglegentem fecit, ut a Piraei custodia in urbem proficisceretur, diligenti cuidam viro offensioni fuit.

In Donato autem nullam criminationis umbram, sed hoc solum conspicimus:

Don. Eun. II 2,59[3]: „miror quid ex Piraeo abierit] ut ex Piraeo discederet, symbola amicorum, ut huc perveniret *omisso negotio*, conspectus virginis fecit."

Deinde minores momenti sunt hae (si modo ullae sunt) vituperationes a Donato ipso ni fallor prolatae, cum eas e prioribus grammaticis depromptas esse nihil sit quod indicet.

Ea scaena, in qua Chaerea virgine vitiata domum redire cupiens, ne introeat, a parentibus praesentibus impeditur, hoc scholio aucta est:

Don. Eun. V 2,2: „quasi dedita o. d. e.] non tam *mirum*, si domi erant (sc. parentes), sed illud magis mirum, quod in ea domus parte, qua in aedes introeundum erat adulescentulo."

Atque eodem hoc scholium referam:

Don. Phorm. II 1,51: „ita ut ille fecit] *unde scit?* an hic poetae virtus est, quod omnia ante inducatur cognovisse, ne in scaena haec ut nova audiens tragicis motibus insaniret?"

---

[1]) Reliquis vero locis „opportune" vox defendendi vi omnino caret: cf. Don. Eun. II 3,66[3]; III 2,11[1]; IV 1,13[3]; 4,2[2]; V 2,10[4] etc. etc.

Quo in versu Demipho Phaedriae Antiphonem non sua sponte, sed legibus coactum virginem in matrimonium duxisse dicenti filium iudicio libentissime paruisse respondit, quam rem ita se habere post scaenam scilicet audiverat. Quam *κατὰ τὸ σιωπώμενον*[1]) figuram in carminibus epicis quidem vitiosam,[2]) sed in fabulis necessariam fere esse quis est qui neget?

Haec vero quae enumerabo scholia, etsi vituperationes continere videntur, accuratius non pertractaverim, cum de moribus ac gestibus ac verbis personarum potius iis agatur quam de vitiis poetae; quorum sunt: Don. Andr. I 1,33²: *intempestive;* Andr. III 3,8¹: *ineptum est;* Eun. III 2,43²: *ineptus iocus;* Eun. IV 7,28³: *incongrue;* IV 7,39¹: *non satis exercitate* etc.

Tum de iis criminationibus disserere cogor, quarum solae defensiones adhuc extant; atque ab hoc exemplo, e quo circuitiones patrocinatoris optime perspicias, incipiam.

In Andr. V 2,13 ambobus senibus, Simoni et Chremeti, interrogantibus Davus „immo vero indignum, Chremes, iam facinus faxo ex me audies" respondit. Sed cum Davum servum suo ero Simoni primo responsurum esse exspectetur, rem incongruam reprehensam esse mirari non debes. Et defensio e verbis huius scholii Donatei clare elucet:

Don. Andr. V 2,13¹: „immo vero indignum Chremes] *bene* ad eum loquitur, qui est a nuptiis deterrendus, *vel* qui non interturbet orationem suam *vel* quem iam sibi precatorem destinet."

Videas velim, quot argumenta defensor attulerit, e quibus cui fidem habeas, optio tibi fit ut eligas.

---

[1]) cf. Don. Eun. III 1,45: „quod eam me amare suspicatur] quia apparet illam militi quoque *κατὰ τὸ σιωπώμενον* ostendisse, quod dixit Phaedriae."

[2]) Servium verbis *κατὰ τὸ σιωπώμενον* vitium Vergilii confiteri Henr. Georgii, Aeneiskr. p. 157 (cf. etiam p. 417) recte vidit.

Utrum vero haec scholia similia defendendi vim spirent necne, affirmare non audeo:

Don. Phorm. II 3,32² (A): „mihi ut respondeas] *bene* »mihi« utpote patri adulescentis *vel* domino Getae *vel* etiam seni.“

et Don. Ad. III 2,44 „ . . .] *congrue et* pro persona *et* pro muliere et in malis constantem esse demonstrat“; quo loco fortasse repentina constantia Sostratae fatum suum usque ad hunc versum commiseratae[1]) nescio cui displicuerat.[2])

Vituperationem eius, quam in Don. Andr. V 2,13[3]) aperui, similem in Don. Andr. IV 2,27 inesse suspicatus sum, quo loco Davus servus Charinum adulescentem verbis „eho, tu impudens“ adloquitur. Etenim haec ad verba scholiasta scripsit: „*proprie*[4]) Charino »impudens« dixit quasi et insolita et multa poscenti, quippe qui et sponsam alienam petere ausus sit et non satis habeat per Davum sibi moram praestitam Pamphili nuptiarum.“

Quo scholio talis ni fallor quaestio refutatur: quaere an conveniant verba „eho, tu impudens“ servo coram libero adulescente (cf. Don. Andr. V 4,18³ „quaere, an conveniant haec verba pro Pamphilo venienti.“)[5])

Deinde in Eun. V 2,43 ad Chaereae verba „te quoque iam, Thais, . . . amo“ adnotari potuit hunc adulescentem subito in meretricem inflammari vix esse credibile, cum paulo ante (II 3,69) eam non notam habuerit atque

---

1) cf. Ad. III 1,4; 2,7; 29; 32 etc. et Don. Ad. III 1,4²; 4⁴.

2) Sed reliquis locis ut in Don. Eun. III 2,42³; Ad. I 1,35²; Phorm. I 4,28² „congrue“ vox merae laudis est.

3) supra p. 50 sq.

4) Nullo alio loco voce „proprie“ poeta defenditur; sed scholia hoc vocabulo exornata cum iis quae de verborum differentia agunt, cohaerere solent, cf. e. g. Don. Hec. I 2,105² et Don. Andr. IV 1,15⁵.

5) supra p. 46.

iam Pamphilae amore vehementissime commotus sit; quali fere reprehensioni scholiasta sic respondet:

Don. Eun. V 2,43: „te quoque iam Thais] *bene* »quoque«: non enim iam hanc ita amat, ut illam neglegat, sed hanc illius causa."

Agmen claudant duo loci, in quibus illud *κατὰ τὸ σιωπώμενον*[1]) nescio cui offensioni fuisse mihi videtur. In Andr. V 2,18 haec aguntur:

Simo: quid ait tandem (sc. hospes)?
Davus: Glycerium se scire civem esse Atticam.

Quae ad verba hoc Donati scholium extat: „*bene:* constanter ad ea, quae locutus est, »scire se« dixit."

Haec ni fallor quaestio antecesserat: ubi Crito „Glycerium se scire civem esse Atticam" dixit? Antea enim nihil tale declaravit, sed solum interrogavit (Andr. IV 5,11): „quid Glycerium? iam hic suos parentes repperit?" Sed Davus, cum interea cum Critone in domum Glycerii introiisset (IV 5,24), hanc civem esse post scaenam ab illo compererat.

Postremo in Eun. V 8,12 Parmeno Phaedriam quaerere iussus Chaereae respondet: „visam domi." Sed cum nusquam antea, quo Phaedria se rettulisset, dictum esset (cf. IV 4,49), scholium Don. Eun. V 8,12 „visam d.] *bene* »domi« quaeritur amator exclusus, nam neque ruri est neque in foro" huic fere interrogationi respondere suspicor: „unde scit Parmeno Phaedriam domi esse?" (cf. Don. Eun. V 2,39: unde sciat Thais inepte quaeritur.)[2])
Et quam mira scholiastae argumentatio est!

Cum ad finem harum vituperationum pervenerim, haec quae addam habeo.

Primo scholia Don. Andr. IV 3,17 „ . . . et *non temere* hoc facit poeta" etc. et Don. Andr. II 1,18[1]: „*non im-*

---

[1]) supra p. 50 sq. cum adnot.
[2]) supra p. 46.

perite Pamphilum priorem loqui fecit" etc. defendendi vi carere arbitror.

Deinde eorum verborum mentionem fecerim, quibus Terentium, ne res veri parum similes in fabulis suis narraret, caute studuisse diserte praedicatur:

Don. Hec. I 2,63³: „cum virgine una adulescens] argumenta in coniecturam necessario posita, quibus Terentius ex utraque parte disputans *τὸ ἀπίθανον purgat,* ne quis illum stulte posuisse hoc iudicaret" etc.

5.

In iis, quos adhuc peregimus, reprehensionum ordinibus non pauca scholia castigatorem una cum defensore obloquente praebentia occurrerunt, quae quod de diversis interpretum studiis optatam lucem attulerunt, in quaestionibus nostris absolvendis prima semper posuimus. Sed quanto longius progredimur, tanto minor horum scholiorum optimorum copia fit, ita ut nunc *de rerum obscurarum vituperationibus* disserturi ne unum quidem huiusmodi exemplum reppererimus. At est ubi e binis scholiis inter se coniungendis et reprehensorem et defensorem Terentii agnoscere liceat.

Quo redit

Don. Phorm. I 2,67³: „⟨nescire et⟩ illam ducere cupiebat et metuebat] *vide ambiguitatem,* qua sequentia non coguntur."

Iam Wessnerus[1]) ambiguitatem nulla in alia re nisi in infinitivo historico „nescire" fuisse adnotavit, cum „sequentia", i. e. „cupiebat" et „metuebat" nihil ambigui in se haberent. Sed ei, qui ne quis infinitivum „nescire" sicut „ducere" a verbo „cupiebat" pendentem faceret, timuit, hoc scholio aperte respondetur:

Don. 67²: „quid ageret nescire] »nescire« pro »nes-

---

[1]) in editionis Donateae appendice ad h. l.

ciebat«; sed *recte,* quia subiuncturus est »cupiebat« et »metuebat«."[1])

Deinde etiam haec scholia simili ni fallor ratione inter se cohaerent:

In Don. Andr. V 3,25[1]: „ego me amare h⟨anc⟩ f⟨ateor⟩] *ἀμφιβολία τῆς ἐρωμένης*" diligentissimus vir Pamphilum pronomine „hanc" eam, quam amaret, parum perspicue significavisse iudicavit, cui defensor eo quod sequitur scholio adversari mihi videtur:

Don. 25[2]: hanc fateor] *bene* »hanc« dicit, non »Glycerium«, cuius in nomine offenditur senex, nec »peregrinam«, ignominiam scilicet vitans."

Utroque autem loco, et in Don. Phorm. I 2,67 et in Don. Andr. V 3,25, si Donatum poetam castigavisse putaveris — quod fieri potuisse infra videbis — defensionem ab interpolatore aliquo postea adiectam esse facile concedes.

Sequitur Don. Ad. I 1,23[2]: „habui amavi pro meo] *quaeritur,* quid sit »habui« et cum multa dicantur, hoc solum verum est: »habui« credidi, duxi, existimavi, ut alibi« etc.; quae adnotatio expletur scholio 23[3]: „ergo »pro meo« bis subaudiendum est" etc.

Et reprehensionem ante Donatum[2]) (fortasse a Probo, quem in Vergilio similes quaestiones movisse sciamus)[3]) prolatam esse forma „quaeritur" testimonio est.[4])

---

[1]) Est ergo, ubi poeta etiam vocabulo „recte" a Donato defendatur, id quod in Tib. Claudio Donato saepius accidisse Henr. Georgii (II p. 6) ostendit. Reliquae autem LXXXV fere voces „recte" in commentario Donateo repertae Terentium purgare mihi non videntur, sed maximam partem ita comparatae sunt, ut poetam in rebus sententiisque virum doctum et philophum se praestitisse dicant: cf. e. g. Don. Ad. V 8,25[1]; Andr. V 4,16[4].

[2]) Si modo is sch. 23[3] scripsit.

[3]) supra p. 11.

[4]) An non hoc scholium vituperationem contineat dubito: Don. Eun. IV 7,11[2] „post principia] militare dictum est. et *ambigunt multi,* utrum in extremo agmine sit hic locus an in medio."

Sed ne Donatum omnes obscuritatum vituperationes pristinis e grammaticis deprompsisse arbitremur, cavendum est; nam cum levissimus quisque magister obscuri aliquid reprehendere potuerit, non dubium est, quin etiam Donatus hoc fecerit, id quod his locis accidisse opinor.

In Eun. IV 3,23 sq. haec a Pythiade de eunuchis dicuntur: „at pol ego amatores mulierum esse eos audieram maxumos, sed nil potesse; verum miserae non in mentem venerat: nam illum aliquo conclusissem" . . . .

Quo loco, quid miserae ancillae in mentem non venerit, i. e. utrum „verum" coniunctio an nomen esset, maxime dubium fuit.

Et in Don. 24[3] scribitur: *„iam si penitus consideraveris, controversia inerit:* si enim »nihil posse« audieras, quid est quod in mentem non venerit ut vitares? utrum igitur »amatores mulierum esse maximos« audieras? quod ipsum vitandum fuit . . . . an »verum« non erit coniunctio sed nomen, ut illud quasi falsum audierit, hoc autem quod verum inventum est, non suspicata sit?" etc.

Porro eadem de quaestione scholiis 24[2]; 24[4—7] agitur, quae omnia quomodo inter se habeant, expediri vix potest; scholium 24[3] *(iam si penitus consideraveris, controversia inerit)* Donati ipsius esse inde mihi probatur, quod et offensionem maxime perspicuam reddit et earum sententiarum similis est, quas (ut *specta et videbis* Don. Ad. V 3,9; *considera . . . et intelleges* Don. Eun. V 8,42[4]) iam Leo[1]) Donato ipsi tribuit.

Quod si verum est atque hic commentator nullo priore grammatico auctore cauta sua ratione de obscuritate loci quaesivit, etiam scholium Don. Hec. prol. II 29[2] ei vindicabimus:

„vetere in nova coepi uti consuetudine] *nisi »novam«*

---

1) Mus. Rhen. XXXVIII p. 332.

comoediam intellexeris, non erit aperta sententia; nam et supra (prol. I 5) dixit: »nunc haec plane est pro nova«."

Obscuritas vero non in alia re mea quidem sententia inerat, nisi quod scholiasta, ne quis verba „nova consuetudine uti in vetere fabula" coniungeret, timuit. Quae verborum coniunctio, etsi stupidissima esse videtur, hac de causa fortasse proponi potuit, quod in altera verborum coniunctione vocabula „nova comoedia" a veritate paulum discesserunt. Nam cum fabula semel exacta in priore prologo „pro nova" fuisset, quanto minus eam, postquam iam bis cecidit, in altero prologo vel „novam" dicere licuit?

Neque eos, qui vocabula „nova" et „consuetudine" coniungerent, defuisse hoc ex scholio falsissimo argumento confirmato perspicis:

Don. 29³: „an in Terentio »nova«, quia numquam alias exclusus est?"

Praeterea in Don. 29⁴ de eadem re agitur: „et *bene* »vetere«, ut ostendat turpe non esse, quod et aliis poetis saepe contigerit." — Quae adnotatio, cum „vetere consuetudine" in ea intellegatur, fortasse cum scholio Don. 29², quod eundem sensum exhibet, cohaesit.

Sequuntur vituperationes paulum diversae.

Don. Ad. I 1,45³: „tantisper cavet] »peccare« subaudiendum, nam totum *ἐλλειπτικῶς et obscure* dictum est."

Utrum vero scholium Don. 45⁴: „et *bene* »cavet«, dicit »quasi malo«" reprehensionem antecedentem arceat an simplicis laudis sit, affirmare nolim; sed codex Bembinus pro „cavet" „pavet" exhibet.[1]

Adiungitur Don. Hec. IV 1,55²: „⟨hoc mi unum ex plurumis miseriis relicuom fuerat malum, si puerum ut tollam cogit⟩] et vide an quasi cum gemitu et percontative pronuntiandum sit. etenim »si« *obscuram locutionem* facit, nisi forte »cum« vel »quod« significat . . . quod si accipimus, possumus et nos interrogative pronuntiare."

---

[1]) cavet: Fleckeisen; pavet: Spengel, Dziatzko-Kauer.

Deinde ad Ad. V 3,35 sqq.:

„multa in homine, Demea,
signa insunt, quibus ex coniectura, facile fit,
duo quom idem faciunt, saepe ut possis dicere:
»hoc licet impune facere huic, ille non licet«,
non quo dissimilis res sit, sed quo is qui facit"

complura eiusdem modi scholia extant:

Don. Ad. V 3,35: „multa in homine Demea signa insunt] *obscurissimus sensus et re et verbis.*"

Don. 37[1]: „duo cum idem faciunt] *obscure* locutus est, cum hic sit sensus: duo idem faciunt; quod uni licet facere, alteri non licet."

In verbis enim Terentianis illud „ut possis dicere" post „ex quibus coniectura facile fit" repetitum[1]) obscuritatem, cuius mentio in Eugraphio non fit, maxime effecisse mihi videtur.

Sed utrumque scholium Donateum ex una eademque Donati adnotatione derivatumne sit et interpolator quidam reprehensionem Donati in scholio Don. 37[1] diminuerit, an scholiorum Donateorum alterum (35: „obscurissimus sensus" etc.) e priore quodam Terentii interprete desumptum atque a Donato ipso in altero scholio (37: „obscure, cum hic sit sensus") deminuta sit, ego quidem disceptare non audeo.

Sed utut res se habet, de eodem commentatore atque in Don. Ad. V 3,37[1] his locis admonemur:

Don. Ad. IV 3,4[2]: „si quam fecere ipsi expostulant] *sensus manifestus est, sed obscura sunt verba* et eorum collocatio et distinctio" etc.[2])

---

1) cf. Spengeli, Dziatzko-Kaueri editiones in h. l.

2) Incerta verborum distinctione sensum ambiguum et obscurum fieri posse patet; e. g. in Don. Andr, III 1,18[3]; 18[4]; utrum „immemores dicipuli" an „immemor es discipuli" legendum esset, dubium fuit. Sed omnes hos locos (ut Don. Eun. II 2,59[6]; V 8,43[2] etc.) accuratius non persequemur.

Don. Hec. I 2,51[1]: „donec iam in ipsis] *nota locutionem sensu magis quam verbis manifestam.*“

Don. Hec. II 1,37[2] „⟨nam de te quidem⟩ satis ⟨scio⟩ pecando detrimento ⟨fieri nil potest⟩] *hic sensus obscurus est, at tamen hoc dicit:* . . eadem es, quae fuisti, quia peior fieri non potes.“ — Rectam autem, quae in scholio Don. 37[3] verbis „quidam hanc putant ironiam . . . sed male“ repudiatur, explicationem Eugraphius vocabulis „sed male“ minime deterritus accepit.

Ac sic iam ad aliud levium vituperationum genus traducimur, nempe ad *amphibolias;* quod vocabulum in Donato saepius repertum semper reprehendendi vim in se habere ne credas, haec Servii, commentatoris Donati, verba moneant (G. L. IV 447,8): „quidquid ergo scientes facimus . . . figura dicitur; quidquid autem ignorantes ponimus, vitium putatur“.

Itaque eas, quas ut spectatores ridentes faceret vel alio consilio poeta posuit, ambiguitates a reprehensionum numero prorsus secernamus; quarum sunt Don. Andr. V 4,52[3] *eleganter lusit ad amphiboliam* et Don. Andr. III 3,32[1]; Phorm. prol. 7[2].

Sed lenes ad vituperationes iam propius accedere videntur scholia Don. Andr. I 5,26[3]; 27[2]; Hec. I 2,13[3]; 92[3]; Phorm. prol. 22[2] *ἀμφιβολία.* Don. Eun. V 8,60 *ἀμφίβολον;* Don. Eun. V 8,59 *ambiguum;*[1]) fortasse Don. Ad. IV 5,49 *ambiguum quidem, sed apparet* etc. et similia scholia Don. Hec. II 1,4[2]; V 1,11[4]; 2,6[3]; Phorm. I 2,46[4]; II 3,7[1] (B); 19 (B).

Quas reprehensiones — si modo ullae sunt — levissimas esse sola hac ex re perspicitur, quod multae [e. g. Don. Hec. I 2,13[3]; V 2,6[3]; Phorm. I 2,46[4]; II 3,7[1] (B); 19[1] (B)] non

---

[1]) Accedunt Don. Andr. V 3,25[1] „*ἀμφιβολία τῆς ἐρωμένης*“; Don. Phorm. I 2,67[3] „vide ambiguitatem“; quibus de locis supra p. 53 sq. disseruimus.

aliud nisi subiectum et obiectum in accusativo c. inf. parum perspicua esse praedicant. Et eas a Donato (aut ab eius interpolatoribus) potius prolatas quam ex grammaticis Donato aetate maioribus depromptas esse Leo[1]) inde conclusit, quod et in arte grammatica Donati de amphibolia agitur[2]) et scholium Don. Hec. II 1,4² „necessaria sententiae ἀμφιβολία" cum duobus locis Hieronymi, discipuli Donati, congruit; quem v. d. ut sequamur, etiam scholia ad Eun. V 8,59 et 60 persuadent, quae ex una eademque adnotatione Donati ni fallor emanaverunt.

Deinde scholiastae in corpore Donateo conflati, quid singula verba vel sententiae significent dubitantes multos locos obscuros fuisse nonne nos docent? Quos omnes, cum poeta nusquam aperte iis castigetur, silentio praeteribo.[3])

Porro de Eugraphio agamus, qui se res obscuras illustrare velle ad Phorm. I 1,1 his verbis clare profitetur: „... ergo verba ac sensus, qui obscuri fiunt, sequamur."

Ad Andr. I 2,15 „Simo: hocine agis an non? Davus: ego vero istuc" Donatus recte adnotavit: »deest ago vel audio«, sed Eugraphius: »*obscurus sensus* est et tamen talis est; curae tibi est, quod populus loquatur«."

Tum simile eiusdem rhetoris scholium extat ad Andr. II 3,18, quo de loco apud Donatum omnino tacetur: „nec tu ea causa minueris haec, quae facis, is ne mutet suam sententiam] hoc quidem *obscure dictum* est, ... sed est sensus" etc.

Denique in Heautontimorumeno, quam ad fabulam scholia Donati perierunt, Eugraphius has obscuritates invenit:

Eugr. Heaut. III 3,37 „verum aliud ex alio] hoc

---

[1]) l. l. p. 329.

[2]) G. L. IV 395,20.

[3]) Videas Don. (et Eugr.) Andr. V 4,24; Phorm. I 2,4²; 89² etc. etc.

videtur obscurum quidnam sit, sed ex his, quae consequuntur, manifestum fiet"

et Eugr. Heaut. IV 1,29 „quid cum illis] *sensus hic obscuritatem habet,* qui talis est" . . .

Quae omnia eorum, quae supra p. 58 enumeravi, scholiorum Donateorum (e. g. Don. Hec. II 1,37[1]: „sensus obscurus est, et tamen hoc dicit" . . .) similia sunt.

Nunc vero, postquam in ieiunis scholiastarum adnotationibus tempus nimis fere longum versati sumus, graviores ad vituperationes, quas e defensionibus suspicati sumus, aggrediamur; inter quas eas, in quibus, cur poeta aliter scribere noluerit, diserte declaratur, primas afferamus.

Atque hoc scholium, de quo iam Wessnerus[1]) pauca exposuit, ideo quod defensionem maxime perspicuam reddit, primum inter omnia locum obtineat.

Don. Phorm. I 2,24[1]: „memini relinqui me d⟨eo⟩ i⟨rato⟩ m⟨eo⟩] sic Vergilius (Aen. XII 539) »nec di texere Cupencum Aenea veniente sui«." hoc *Asper. sed mihi videtur ad hoc addidisse »meo«, ne esset ἀμφίβολον*, cui diceret »irato deo«. Naevius in Stalagmo (Ribb. com.[3] p. 21)" etc.

24[2]: . . .] „domino dicit. an vere »deo«?"

24[3]: *„et bene »meo«, ne esset ἀμφίβολον."*

Quo loco sensum vocabulorum „deo meo" obscurum fuisse cum e scholiis ipsis apparet tum inde clarius perspicitur, quod etiam verba „di sui" in versu illo Vergiliano Aen. XII 539 viros doctos offendisse Henr. Georgii[2]) docuit. Atque adhuc auctor alterius scholii Donatei dubitat!

Asper Vergilio collato rem explicare conatus est; qui grammaticus quam sententiam de deis habuerit, paulo accuratius comperimus, cum de eiusdem viri auctoritate

---

[1]) in appendice ad Don. Phorm. I 2,24.

[2]) Aeneiskr. p. 539.

cogitare debeamus et in Serv. Dan. Aen. XII 538, ubi locis Ter. Phorm. I 2,24 et Verg. Aen. IV 610 allatis „nos singulos deos proprios habere genios“ dicitur, et in Serv. Dan. Aen. IV 610, ubi versu Aen. XII 539 allato quorundam, „qui dicunt habere nos singulos deos nostros“, mentio fit.

Sed Aspro alius grammaticus verbis „sed mihi videtur“ eo quem nos tractamus loco contradixit, quem Donatum fuisse his rebus evincitur, quod et is grammaticus aliis quoque locis[1]) Aspro adversatus est et scholium Don. 24[1] eundem sensum atque Don. 24[3] exhibet; eaedem vero explanationes in commentario nostro ad unum locum bis positae ex una eadem adnotatione Donati derivandae sunt.

Quaestio autem ipsa, quae talis fuerat: quid est „meus deus“? ab Aspro prolata esse mihi non videtur, cum eum non ut Terentium vituperaret, sed ut illustraret locum Vergilii attulisse scholio Don. 24[1] doceamur neque in Serv. Dan. Aen. XII 538; IV 610 reprehensionem huius interpretis conspiciamus. Itaque cum castigatorem iam ante Asprum munere suo functum esse credam, de Probi auctoritate cogitaverim; cuius ab studiis talis reprehensio minime abhorret, cum quaestiones de rebus divinis ab eo motas Servius ad Aen. X 18 clare commemoraverit.[2])

Hunc ergo commentatorum ordinem propono:

Primo *Probus* quaesivit, quid in Terentio „meus deus“ (et in Aen. XII 539 „di sui“) sibi vellet; singulos enim deos nos habere negavit. Quam ad quaestionem conferas Serv. Aen. X 18 „hominum divumque aeterna potestas] *hunc locum Probus quaerit.*“

Deinde Terentius (sicut Vergilius) ab *Aspro* „nos

[1]) e. g. in Don. Ad. IV 2,20[5] (supra p. 12) et Hec. III 4,26 (supra p. 29).

[2]) Atque Probum de fato disseruisse iam Henr. Georgii, Aeneiskr. p. 237 (agitur de Serv. Aen. IV 653) et p. 240 (Serv. Dan. Aen. IV 696) coniecit.

singulos deos proprios habere genios“ affirmante defensus est, quem grammaticum a purgatorum partibus stare potuisse e scholiis Veronens. ad Aen. III 691[1]) appareat quemque Vergilium in re theologica defendisse iam Ribbeckius[2]) suspicatus sit.

Denique *Donatus* Asprum non secutus vocem „meo“ non solum non obscuram, sed eo consilio, ne sententia ἀμφιβόλως dicatur, a Terentio additam esse stupidissime affirmavit. Locum vero Naevianum a Donato ex Aspro haustum et suum in usum conversum esse cum Wessnero[3]) consentio.

Neque *Eugraphius* quaestionem silentio praeteriit, sed Aspro potius quam Donato assentiens adnotavit: „noster enim deus est, qui favet nobis; qui si iratus fuerit, adversa omnia patimur, ut Vergilius (Aen. II 326) »vadimus immixti Danais haud numine nostro«.“

Sed pergamus. Eadem atque in Don. Phorm. I 2,24[1]; 24[3] defendendi ratione in Don. Andr. I 1,129[5] delectaris; quo loco ad verba Terentii „ea primum ab illo animum advortenda iniuriast“ scholiasta, nempe Donatus ipse, hoc scripsit:

Don. Andr. I 1,129[5] „et *bene* »ea ab illo« dixit »iniuria«; certissimam enim notavit personam, quae debeat pro iniuriis poenas solvere. quod si dixisset »iniuria eius«, *amphiboliam fecisset,* utrum: quam passus est ab alio, an: quam ipse aliis fecit.“

Miram verborum constructionem — „ea ab illo iniuria“ pro „ea iniuria eius“ — a viro docto vetere non reprehensam esse scholio Don. Eun. III 5,9[3] docemur, in quo nullis vituperationis et defensionis vestigiis conservatis simili de exemplo disseritur. Diversae igitur vituperationi defensor in Andr. I 1,129[5] respondet, quae qualis

---

1) Henr. Georgii, Aeneiskr. 184; Ribbeck, proll. p. 133.
2) in proll. p. 132; agitur de Serv. Dan. Aen. I 42.
3) in editionis Donateae appendice ad Phorm. I 2,24.

fuerit iam elucebit, si scholiastam in Don. Phorm. I 2,24 verbis „ne esset *ἀμφίβολον*“ reprehensionem de obscuritate prolatam repulisse memineris et haec verba scholii nostri „certissimam enim notavit personam“ accuratius consideraveris.

Sententiam enim ambigue dictam esse nescio quis antea adnotaverat, qui ne vocabula „ab illo“ cum participio „animadvortenda“ coniungerentur timeret. Quae verborum coniunctio quamvis sensu cassa ut proponeretur, miro verborum ordine „ab illo animadvortenda iniuria est“ effectum est. Et vide quomodo Donatus etiam hoc loco vituperationem suum in usum converterit hoc fere afferens: verba Terentii ambigua non sunt; sed ne ambiguitatem faceret, poeta sic scripsit.

Sequuntur defensiones consilium poetae, cur non aliter dixerit, iam minus certo affirmantes, inter quas hoc scholium exemplorum modo commemoratorum simillimum primum afferam.

Don. Ad. I 2,61 „⟨neque legem putat⟩ tenere se ullam] *bene* »tenere«, quia legem. et est *ἀμφιβολία* oratoria.“

Hic sicut alibi,[1]) utrum „se“ an „legem“ subiectum in accusativo c. inf. esset, quaesitum erat; sed Donatus poetam ambiguitatem oratorie, i. e. suo consilio posuisse confisus castigatorem voce „bene“ refutavit.

Porro ex forma huius scholii defendendi vim clare perspicis:

Don. Ad. I 1,33 „⟨pudore et liberalitate⟩ retinere satis esse puto] *bene »retinere« a vitiis,* quia vitia filios tenent, quos retinent patres, *a vitiis scilicet;* nam retinet, qui adversum aliquem tenet.“

Quam diserte scholiasta verborum „a vitiis“ repetitione vituperationem levissimam, ne dicam stupidissimam indicavit! Diligenti enim cuidam viro illos ablativos in-

---

[1]) supra p. 58 sq.

strumentales „pudore et liberalitate" pro separativis accipi posse offensioni fuit.

Deinde ex miro argumento huius scholii vituperationis suspicio oritur:

Don. Eun. IV 3,13[2] „utinam sic sient qui mihi male volunt] *bene* non esse ebriam in maledictum versum, quasi vere temulentam esse felicitatis sit."

Quo scholio eum repelli opinor, qui iis in verbis, quibus Pythias Chaereae eam temulentam esse affirmanti respondit, quid „sic" significaret quaesiverat: utrum ebrium an sobrium. Et scholiasta Pythiadem se sobriam esse dixisse et alios sobrios fieri cupivisse mire intellexit. Sed interpolator quidam in eo quod sequitur scholio longe ineptius adhuc dubitat:

Don. 13[3] „an non negat ebriam ⟨se esse⟩, sed non vino sed malo vult intellegi?"

Adiunguntur ii loci, quos quod res vera laude dignae in iis omnino desunt, castigationes obtectas exhibere suspicor.

In Andr. IV 3,19 Chremete appropinquante Davus haec ad Mysidem loquitur: „ego quoque hinc ab dextera venire me adsimulabo."

Quo loco fortasse nescio quis ea, quae in scaena aguntur, obscura fieri adnotaverat, cum vocabulo „quoque" addito etiam Chremetem a dextera venire dictum esse putaret. Quod si ita intellexeris verba „concede ad dexteram," quae paulo infra (IV 4,12) Davus Mysidi dicit, veri parum similia erunt, cum Mysis hoc modo in Chremetis partem se versura sit. Sed re vera Davus a dextera, Chremes a sinistra venit, ita ut, si omnia in aperto esse vis, sententiam supra allatam sic intellegere debeas: ego quoque venire me adsimulabo, et quidem a dextera. Quam totam quaestionem his scholiis indicari opinor:

Don. Andr. IV 3,19[2] „ego quoque hinc ab d. v. m. a.] *bene* ait »quoque« quia et Chremes veniebat".

et Don. Andr. IV 4,12² „concede ad d.] *bene* »ad dexteram«, sinistra enim venit Chremes".

Sequitur Don. Eun. IV 4,57 „Thais iam aderit] *bene* dixit; huic enim aderit Thais."

Quo in versu, quid „aderit" significaret dubium fuisse mihi videtur: utrum „praesto erit" an „adiuvabit".

Deinde pronominum ambiguitatem in Ad. I 1,22 vituperatam fuisse suspicor; etenim conferas

Don. Ad. I 1,22³ „et *bene* »hunc« dixit, quia de ipso loquebatur". — Sed eundem Aeschinum modo „hunc" modo „illum" appellari quis est quin viderit?: v. 11 ille; v. 15 hic; v. 22 hunc; v. 25 ille.

Neque tales reprehensiones inusitatas fuisse indicatur scholio Don. Andr. V 3,25 „ego me amare hanc fateor] *ἀμφιβολία τῆς ἐρωμένης.*"[1])

Denique hoc in ordine posuerim etiam

Don. Eun. V 8,49¹² „fatuus est insulsus] *haec bene adduntur,* quia ⟨quod⟩ dixit »et habet quod det et dat nemo largius« ad eam rem valebat, ut amaretur miles a meretrice . . . sed ingrata sunt mulierculis maximeque lascivis haec omnia quae subiecit."

Hisce enim verbis Gnatho parasitus Thrasonem militem duobus adulescentibus commendavit:

„principio et habet, quod det, et dat nemo largius
fatuus est, insulsus, tardus, stertit noctis et dies;
neque istum metuas ne amet mulier."

Quibus in versibus duae militis virtutes, propter quas amandus esset, parum perspicue discerni nescio cui visae sunt, cum vocabulo „principio" non esset, quod responderet, sed duo membra speciem unius sententiae

---

[1]) cf. supra p. 54. Ac fortasse etiam in Andr. I 1,47 „primo haec (sc. Andria) pudice vitam . . . agebat" et in Andr. I 1,59 „nam Andriae illi id erat nomen" varians pronominum usus alicui displicuerat; haec enim Donatus scripsit: 47² „*bene* »haec« quasi dicat: illa quae coacta est"; 59 „*bene* »illi«, quasi dicat: quam tu Andriam nominasti."

praeberent; quam reprehensionem scholiasta verba „fatuus est insulsus“ etc. bene adiecta esse affirmans refutare conatus est.

Neve quis sententiam male intellegeret, periculum fuisse testimonio est

Don. Eun. V 8,49[11] „fatuus est insulsus] haec quae nunc addit *non ex superioribus pendent.*“

6.

Accedamus ad *vituperationes de verbis impropriis prolatas,* inter quas cum de voce „tragice“ agendum sit, ea primo repetamus, quae iam Wessnerus[1]) de scholio Don. Andr. IV 5,13 disseruit; ubi ad verba „numquam huc tetulissem pedem“ haec adscripta sunt:

„. . . sed *critici adnotant altius esse charactere comico* »tetulissem pedem«.“[2])

Atque his cum verbis coniungas Serv. Verg. Geo. IV 150 „pro qua mercede] . . . ut etiam *Donatus dicit tragicum est et ultra carmen Georgicum,* si accipiamus »pro qua mercede« inclamationem esse, ut sit: proh, quanta hoc mercede fecerunt.“

Qua ex adnotatione Donatum ipsum, cum verbis verborum ad illum Terentii versum adscriptorum similibus usus sit, Terentiani quoque scholii auctorem fuisse apparet; illos ergo „criticos“ in Don. Andr. IV 5,13, cum ante Donatum munere suo functi sint, Probum vel Asprum fuisse Wessnero recte probatur.

Deinde haec quoque scholia, quippe quae nullam ni

---

1) in „Aem. Asp.“ p. 42.

2) Unde haec scholia originem duxisse iam Wessnerus l. l. recte animadvertit: Don. Andr. V 1,13 „dum res tetulit] . . . et altius, quam decet comicum characterem, dictum videtur;“ Don. Ad. IV 5,4[3] „et nota »pepulisti« elatum verbum et tragico coturno magis quam loquelae comicae accommodatum.“

fallor vituperationem in se habeant, Donato potius quam illis criticis tribuam:

Don. Ad. IV 7,13[2]; Phorm. I 4,23[1] *tragice*

Don. Eun. V 5,2[1] „neque agri neque urbis odium me umquam percipit] *tragicus apparatus:* delicias memorat, qui pericula cogniturus est.“

Sed vide, quomodo scholiasta vel hac re poetae patrocinatus sit, quod eum ipsum impropriam rem tamquam excusavisse dicit:

Don. Ad. II 1,43[2]; I 2,31[1] „pro Juppiter] quia »pro Juppiter« *tragica exclamatio* est, *bene* tamquam ipse se reprehenderet Demea adiecit: tu homo rediges me ad insaniam.“[1])

Porro eodem referendum est

Don. Eun. III 5,42[3] „templa caeli summa] *tragice,* sed de industria, non errore.“ — Quo loco unde poetam illud tragicum „de industria“ posuisse scholiasta sciverit, eo quod antecedit scholio ostenditur, ubi hunc locum „parodiam de Ennio“ esse Asper secundum Wessnerum[2]) adnotavit.

Ceterum Terentius ideo, quod in rebus „tragicis“ rarissime peccavit, saepenumero laudatus est; haec enim verba Euanthii[3]) sunt: „. . . illud est admirandum, quod et morem retinuit, ut comoediam scriberet, et temperavit affectum, ne in tragoediam transiliret.“ Cuius laudis similes adnotationes in Donato permultae extant:[4])

Don. Ad. IV 2,2[1] *ne . . . in tragoediam transiliret;* Phorm. V 1,23[2]; Andr. III 4,27[1]; V 2,24[1] etc.

Deinde contraria aliqua res in Don. Eun. I 2,24[6] adnotata est: „⟨sin falsum aut vanum aut finctum est, continuo⟩ palam est; plenus rimarum sum. hac atque

---

[1]) Sed. in Eun. IV 4,41 verba „Juppiter magne“ neminem offenderunt.

[2]) in „Aem. Asp.“ p. 35.

[3]) in edit. Don. vol. I p. 19,16.

[4]) Quas omnes Scheidemantel (l. l. 59 sq.) Euanthio tribuit.

illac perfluo] *vilis et abiecta translatio* est, apta apud meretricem loquenti."

Praeterea has verborum impropriorum reprehensiones investigavi:

Don. Eun. V 2,8 „ne quis me cognosceret] pro »agnosceret«. *nota improprie dictum.*"

Don. Andr. I 1,119[4] „⟨ego illud⟩ sedulo ⟨negare factum⟩] *quomodo* »sedulo«, si negabat? an »sedulo« *ὡσεὶ* ⟨ἁπλῶς⟩, id est simpliciter?" — Quo loco vocabulum „sedulo" improprie positum esse scholiasta putavit, quod Simo haec verba locutus non „sine dolo" egisset, sed manifeste mentitus esset. Causa ergo offensionis etymologia vocis „sedulo" fuit, quam apud grammaticos usitatissimam etiam in Donato saepius reperimus, ut in Don. Ad. III 3,59[3] „sedulo] sine dolo" etc.[1]) Et vides ut scholiasta alia explicatione huius vocabuli (= simpliciter) offensionem vitare conatus sit.

Sequitur Don. Ad. III 3,61 „inspicere tamquam in speculum vitas hominum iubeo] *videndum an recte »speculum« induxerit,* cum alienas vitas dicit inspiciendas esse; nisi forte hoc ad causam admovendi speculi, non ad effectum referemus. nam causa inspiciendi speculi emendatio est vultus, effectus formae per imaginem resultatio."

Atque etiam Eugraphius verba „inspicere in speculum" *novam elocutionem* esse adnotavit.

Nam cum eo consilio, ut nos ipsi videamus, speculo uti soleamus, quomodo etiam in aliis hominibus ipsi nos contemplari possimus quaerere licuit; sed si nos et in speculum et in alios homines inspicientes nos ipsos corrigere cum Donato intellexeris, nihil in Terentio te offendet.

Porro huc referam Don. Eun. prol. 20 „postquam

---

[1]) praeterea cf. Wessnerum in appendice ad Ad. I 1,25[1].

aediles emerunt] *mire, cum ordo melior videretur,* si sic diceret »postquam aediles emerunt quam nunc acturi sumus, perfecit ut inspiciundi esset copia«."

Terentius enim verba ita posuit: „quam nunc acturi sumus . . . postquam aediles emerunt, perfecit sibi ut inspiciundi esset copia."

Sed eas quae sequuntur vituperationes solis e defensionibus aperui, quarum ea quam primam pono, summae perspicuitatis est.

Don. Eun. IV 6,21² „minus potens quam tu] *bene sic dixit, quia tardum fuit dicere* »ille impotens, tu potens«" etc.

Quid ergo exspectatum fuerit elucet; atque profecto militem nihil omnino posse his in verbis, quibus Thais Chremetem adhortatur, melius diceretur!

Deinde castigatores poetae refutari ex miris harum adnotationum argumentis suspicor:

In Ad. III 4,13 „neque me satis pie posse arbitror" (scil. vos deserere) illud „satis" improprie poni nescio cui visum est, cum Hegio patronus non solum „non satis pius", sed omnino impius esset, si familiam Sostratae desereret; quae reprehensio his scholiis repellitur:

Don. 13² „neque me satis pie posse arbitror] *honesta locutio*, quae significat: quicquid fecerit pro pietatis debito, illius, merito parum esse. sensus autem hic est: neque faciam, quod nefas est, ut vos deseram, nec hoc ipsum quod facio, satis pium est, pro tanta necessitudine"

et Don. 13³ „et *bene addidit* »satis« ut ⟨sit⟩: etsi pie, non tamen satis."

In Andr. II 6,24 „tu quoque perparce", quae verba Davus servus Simoni ero dixit, vocabulum „quoque" criticos offendisse videtur. Quo loco si „quoque" pro „et ipse, etiam" accipis, quaerere debes: quis praeter Simonem perparcus fuit? Ac tali fere interrogationi Donatus hac interpretatione respondit:

sch. 24[1] „*bene* »quoque«, quasi dicat: cum ille peccet, quod pueriliter succenseat, tu quoque peccas.“

Sed si „quoque“ recte intellexeris (= auch wirklich, auch in der Tat; cf. Spengel in h. l.) nihil desiderabis.

Et ni fallor in Hec. III 4,12 simile aliquid occurrit. Ibi enim Sosiae se aufugere malle quam iterum navigare iurato Parmeno respondet: „olim quidem te causae impellebant leves, quod nunc minitare facere, ut faceres, Sosia.“ Quo loco verbis „*olim* quidem“ etc. hoc dici aliquis intellexerat eam, de qua Sosia *nunc* fugere vellet, causam non levem, sed gravem esse. Sed quam levis aufugiendi causa est: „ob navigandum“! Id ergo criticus exspectaverat: olim quidem te causae impellebant leviores, i. e. iis quibus nunc impelleris leviores. Et reprehensor hoc scholio repellitur:

Don. Hec. III 4,12[2] „*bene* »leves« dixit; haec enim non est levis.“

Sequitur Don. Phorm. I 2,61[2] „⟨amare coepit⟩] et *bene* »coepit«, non amavit, ut ostendat vim amoris non parvam esse et rem quae semel suscipi possit!“

Cui adnotationi haec vituperatio antecesserat: „amare coepit“ improprie ponitur pro „amavit“; nam adulescentem primo virginis conspectu amare coepisse iam in versu 32 „hanc amare coepit perdite“ narratum est, sed nunc de altero conspectu agitur.

Etiam inusitatam vocabuli „producere“ significationem (= agere, degere, consumere) vituperatam fuisse mira haec scholiastae argumentatio mihi persuadet:

Don. Ad. IV 2,52[2] „paulatim hunc producam diem] *bono verbo usus est* ad metaphoram tamquam vel morientis diei, ut (Verg. Aen. IX 486) »nec te tua f⟨unera⟩ m⟨ater⟩ ⟨produxi⟩« et (Ad. III 3,48) »qui egomet produxi« (scil. filium).“

Deinde falso scholii argumento hoc loco de defensione admoneor:

In Eun. IV 3,18 „etiam hoc misera suspicor, ali-

quid domo abeuntem abstulisse" quaeri potuit: quomodo „etiam"? quid praeterea Pythias suspicata est? Nam virginem ab eunucho vitiatam esse se pro certo comperisse dixit: v. 12 „virginem vitiavit;" v. 16 „hoc quod fecit res ipsa indicat."

Scholiasta vero reprehensori hac adnotatione falsissima obloquitur:

Don. Eun. IV 3,18[4] „etiam misera hoc suspicor] *bene* »etiam«, quia et hoc suspicatur, virginem vitiatam."

Postremo duobus locis poetam purgari suspicor, in quibus eas quae voce „bene" augentur res simplice laude indignas esse putem.

In Andr. III 5,12 haec aguntur:

Pamphilus: „expedies?" — Davus: „Certe, Pamphile."
Pa: „nempe ut modo." — Da: „immo melius."

Sed cum Davus Pamphilum antea omnino non expedivisset, sed impedivisset, responsionem eius „immo melius" ineptam esse criticus quidam iudicaverat, qui hisce verbis refutatur:

Don. Andr. III 5,12[1] „immo melius s.] *bene* »melius« comparativo, quasi hoc bonum sit, illud melius."

Atque ni fallor in Andr. I 1,72 „hac fama impulsus Chremes ultro ad me venit" vocabulum „impulsus" cum eo quod sequitur „ultro" congruere nescio quis negaverat, cui hoc scholium adversatur:

Don. Andr. I 1,72[4] „impulsus] *bene* »impulsus«: ultro enim venire impulsus est, qui dat contra officium soceri."

7.

Nunc cum ad *rerum supervacuarum reprehensiones* accesserimus, imprimis id scholium commemoremus, quod de re supervacanea non in singulis verbis, sed in compositione scaenae reperta agat.

Don. Andr. I 1,27[3] „ita est] intercidit poeta, ne solus Simo loqueretur. ceterum *non erat respondendi locus necessarius.*"

Quem ad versum orationem senis apud Menandrum non interruptam esse fortasse Asper adnotaverat.

Sed de reliquis, in quibus singula verba abundare enuntiatur, locis dubitari potest, utrum vituperationem aliquam contineant necne. Donatus quidem pleonasmum inter vitia orationis inseruisse mihi videtur hoc in arte grammatica[1]) scribens: „pleonasmus est adiectio verbi supervacui ad plenam significationem“; sed Quintilianus duo pleonasmi genera discrevit, quippe cuius in institutionibus (VIII 3,53) haec legantur: „est et *πλεονασμός* vitium, cum supervacuis verbis oratio oneratur ... nonnumquam tamen . . . adfirmationis gratia adhibetur. . . . at vitium erit, quotiens otiosum fuerit et supererit, non cum adicietur.“[2])

Atque nos Quintilianum potius quam Donatum secuti simplicem pleonasmum, qui omnibus in poetis saepenumero occurrit, indignum fuisse putamus, qui vituperaretur[3]), praesertim cum talia veteri poetae libenter concederentur[4]); conferas enim Don. Phorm. II 2,26 „. . . τῷ ἀρχαισμῷ addidit, cum sufficeret“ etc.; praeterea Don. Andr. III 2,28²; Eun. V 8,5⁵; Ad. II 2,16; Phorm. V 8,11 etc.; schol. Bemb. Heaut. I 1,116. Quam excusandi rationem iam ante Donatum in usu fuisse docemur scholio Don. Phorm. I 2,38² „exadversum ei loco] legitur et »illico«. et *annotatur* »ex abundanti additum, ut apud veteres multa sunt«.“

His ergo adnotationibus:

abundat: Don. Andr. I 1,73¹; 5,4⁵; III 2,41²; 3,40² etc. schol. Bemb. Heaut. II 4,5; III 1,69 etc.

---

1) G. L. IV 395,3.

2) cf. etiam inst. or. IX 3,46; praeterea Guil. Hahn, zur Entstehungsgeschichte der Scholien des Donat zum Terenz II, progr. gymnas. Stralsund. 1872 p. 2.

3) cf. Henr. Georgii, Aeneiskrit. p. 561.

4) Smith, Archaisms of Terence mentioned in the commentary of Donatus, Diss. Baltimore 1890 p. 5 sq.

ex abundanti: Don. Andr. I 1,28[1]; Ad. III 4,30[5] IV 5,34[1]; Hec. V 1,14[5] etc.
sufficeret: Don. Andr. II 1,27[1]; 6,24[2]; Eun. III 1,26 etc.

poetam castigari negaverim, cum solus pleonasmus iis indicetur. Quod si aliter se habere putes, etiam omnia illa „deest, subaudiendum, ἔλλειψις, ἀποσιώπησις“, quae de contraria re saepissime usurpantur, inter vituperationes inserere debeas.[1])

Sed haec ad reprehensionem iam propius accedere mihi videntur:

Don. Ad. IV 3,15 „accipiunt magis] *mire*[2]) *additum* »magis«, cum possit sensus et sine hoc esse integer.“

---

[1]) Quae vocabula utrum figuram an vitium significarent, iam Guil. Hahn, l. l. p. 7 sq. dubitavit; cf. etiam Moore, Servius on the tropes and figures of Vergil, Americ. Journ. of Philol. XII (1891), 287 sq.

[2]) Varias significationes in voce „mirus, mire“ inesse his e scholiis potissimum perspicis:

Don. Eun. IV 3,3[4]: „*mire* »postquam ludificatus est, conscidit« dixit, cum ille videlicet, dum virgo reluctatur hoc fecerit.“

3[5] „et *mire* expressit vitium illatum virgini“ etc.

3[6] „et *mire* »ludificatus« potius quam »complexus est« aut tale aliquid, quod amorem indicaret.“

Quarum adnotationum in prima vox „mire“ vituperationis, in posterioribus laudis est; quae significationes tam diversae inde prodeunt, quod mirari possis et id quod novitate te offendit et id quod pulchritudine te delectat.

Atque apud Donatum res ita se habet: illa significatio (ut nos dicimus „seltsam“) quamvis in neutro „mirum“ semper usitata (Don. Andr. II 2,1[2]; 6,19[1]; Eun. IV 1,11[5]; V 2,2[1]; Ad. I 2,71; III 3,51[1]; Hec. V 1,22[2]) in reliquis formis (ut „mire“ etc.) admodum rara est atque solis his locis occurrit: Don. Andr. I 1,102[2]; 2,17[2]; 5,62[2]; II 1,21[2]; Eun. prol. 20; 23[1]; I 1,28[1]; II 3,71; IV 3,3[4]; 19[2]; V 2,25[4]; Ad. I 1,22[1]; III 1,4[1]; 2,56[1]; IV 2,40[2]; 3,15; 5,67[1]; V 2,1[2]; Hec. V 4,26[2]; Phorm. I 1,7[1]; IV 3,52[1]; sed horum scholiorum pauca tantum perspicuas reprehensiones continent.

Multo autem frequentius voces „mire, mirus“ pro „admirabiliter“ etc. usurpantur, quem ad usum illustrandum CCLIII fere exempla in Donato invenies; cf. praeterea Hartmanum, l. l. p. 7 et Karstenum, Mnemos. XXXII p. 302 adn.

Don. Ad. V 2,1[2] „Ctesipho] *mire additum* nomen, cum aut sine hoc aut per pronomen possit intellegi Ctesipho“.

schol. Bemb. Heaut. II 3,44 „*mire additum* »texentem telam«, cum sufficeret dictum »texentem«.“

Deinde si eandem rem bis dictam esse adnotatur, de vituperationibus cogitandum esse perspicitur ex Don. Andr. II 1,28[1] aut tibi nuptiae h. s. c.] hoc ad Pamphilum pertinet; *non enim unum et idem est. nam si idem esset* »tibi nuptiae hae sunt c.« *supervacuum esset additum.*“[1])

Atque unam talem vituperationem manifeste traditam habemus:

Don. Ad. III 4,18 „⟨neque boni⟩ neque liberalis functus est officium viri] *quaerendum,* inter bonum et liberalem quid intersit: an bonus est, qui non nocet, liberalis qui etiam prodest? an bonus est, qui non peccat in facto, liberalis qui nec in verbo quidem?“ — Criticus ergo, quem Probum fuisse Wessnerus[2]) suspicatus est, vocabulis „bonus“ et „liberalis“ bis idem dici putavit.

Alias autem huiusmodi castigationes a Donato refutatas esse opinor in

Don. Hec. II 1,31[2] „⟨non mea opera⟩ neque pol culpa evenit] *bene additum* »neque pol culpa«“ etc. Sed ea quae antecesserat reprehensio e scholio Don. 31[3] adhuc clare apparet: „*videtur unum dixisse* »opera« et »culpa«, *et tamen non est idem*“ etc.

Don. Hec. III 5,14[1] „nam illum vivum et s⟨alvum⟩ v⟨ellem⟩] *non idem est* »vivum« quod »salvum«.“

Don. Phorm. I 4,36[2] „⟨vi coactum te esse⟩ invitum] *bene idem repetit* ad confirmandam memoriam trepidantis.“ — Quae excusandi ratio an non recta sit auctor scholii

---

[1]) Donatus in arte grammatica (G. L. IV 395,10): „tautologia est eiusdem dictionis repetitio vitiosa“ etc.; praeterea cf. Quintil. inst. or. VIII 3,51; Charis. G. L. 271,16; Diom. G. L. I 450,16 Moore l. c. p. 285.

[2]) in „Aem. Asp.“ p. 22.

Don. 36[3] adhuc dubitat: „an ideo »vi coactum« »invitum« iungendum est, quod interdum etiam ipsi nos cogimur propria voluntate?“ etc.

Don. Andr. II 4,1[3] „⟨reviso quid agant aut quid captent consili⟩] et quod supra dixit, *non paenituit idem repetere* »observes filium, quid agat, quid cum illo consilii captet« (I 1,142 sq.) quod enim prudenter dictum fuerit, non piget repetere“ etc.

Quo ni fallor haec quoque exempla redeunt:

Don. Ad. II 2,43[2] „⟨memorem me dices esse et gratum⟩] et *bene* utrumque, nam non continuo qui memor etiam gratus est.“

Don. Ad. IV 7,37[3] „atque uti decet hilarem et libentem] *bene addidit* »et libentem«: multi enim hilares simulantes se non libentes sunt.“

Don. Eun. I 1,28[2] „vivus vidensque pereo] *bene addidit* »videns«, nam »vivus« perit etiam qui dormiens opprimitur »videns« autem qui vigilans vim patitur, ut pereat.“

Don. Hec. IV 2,4[3] „⟨numquam sciens commerui⟩ merito ut caperet odium] *bene* dixit »merito«, nam immerito ut quis nos non oderit, non est in nostra manu.“ — Quo loco vocabulo „merito“ verbum „commerui“, quod antecedit, repeti nescio cui visum erat.

Don. Phorm. prol. 33[3] „restituit locum] *bene repetivit* »locum«, *ut ἀμφιβολίαν vitaret*, ne »quem« tumultum dicere videatur“ (idem in schol. Bemb.).

Qua in adnotatione ad versus Terentianos

„. . . quom per tumultum noster grex motus locost;
quem actoris virtus nobis restituit locum“ etc.

pertinente defensionem inesse inde suspicor, quod in similibus laudis argumentis idem usu venire supra p. 60; 62 demonstravi: Vocabulum „locus“ bis — atque in fine duorum versuum — repetitum esse critico displicuerat.

8.

Ad *rerum grammaticarum vituperationes* pergamus, quae permultae in Donato occurrunt, cum Terentii sermo „vitae quidem plenissimus[1]) non anxie ad normam aliquam, grammaticam exactus atque directus sit, ita ut haud pauca horridiuscula, hiantia, discrepantia in eo restent.“[2]) Quo de vitio a viris doctis veteribus indulgentius iudicabatur, quod poeta comicus — videas enim Don. Eun. IV 6,13[1]: „*hoc in comoedia licet more vulgi dicere*“ etc. et Don. Ad. I 1,14 — et vetus[3]) fuit: cf. Don. Eun. IV 7,22[2] „cum tibi do] *indiligenter ut veteres* pro »cum tibi darem« etc.; Don. Ad. I 2,47[4]; IV 4,26[2]; 5,32[2]; 7,38[1]; V 3,29; 4,20[1] etc. etc.

Has vero vituperationes investigavi:

Don. Andr. I 1,30[2] „ad philosophos] *vitium* est, quia dixit »ad aliquod studium«“ (sc. animum adiungere). Quo cum scholio quomodo id quod antecedit Don. 30[1] „aut ⟨ad⟩ philosophos] *mira* ἔλλειψις et familiaris Terentio. nam possumus subaudire »audiendos« sive »sectandos«“ coniungendum sit, adhuc dubito. Ibi vocem „mirus“ laudis esse inde apparet, quod si poeta hoc vocabulo reprehenderetur, non „et familiariter“, sed „sed f.“ melius scriberetur;[4]) laudativum vero scholium eo consilio, ut illi castigatori in Don. 30[2] („vitium“) responderet, postea additum esse non affirmaverim, praesertim cum Karstenus[5]) scholium Don. 30[1] („mira“) Donati ipsius et scholium Don. 30[2] („vitium“) interpolatoris esse e contrario suspicatus sit.

Sequitur Don. Eun. IV 4,30 „quam dudum ⟨m.⟩]

---

1) Eo tales adnotationes spectant: Don. Andr. II 1,15[1]: „consuetudine magis quam ratione dicitur“ etc.

2) Haec verba sunt Hartmani l. l. p. 231.

3) Smith l. l.; supra p. 72.

4) Accedit quod in V[2] in rasura „eclipsis pulchra“ scriptum est.

5) Mnemos. XXXII p. 292.

nota »modo« aperte pro praeterito tempore dictum esse, id est »iamdudum«" etc. (cf. etiam corrupta scholia Bembina ad h. l.)

Don. Eun. V 8,36[1] „non cognosco vestrum t⟨am⟩ s⟨uperbum⟩] *locutio adnotanda.*" Don. 36[3] „nove". Don. 36[4] „absolute". — Sed similia verba „antiquom optines" in Don. Andr. IV 5,22 more antiquorum excusantur.

Don. Phorm. II 1,52[2] „et *nota* »functus officium« accusativo casu, quod nos ablativo."

Don. Andr. I 2,11 „ne esset spatium c⟨ogitandi⟩ a⟨d⟩ d⟨isturbandas⟩ n⟨uptias⟩] *miranda locutio,* ut si dicas: cogitat ad dicendum."

Don. Eun. V 2,6[1] „⟨ego me in pedes . . .⟩ in angiportum quoddam] *vide non illum vitasse* sub una clausula bis »in« dicere: »in pedes« »in angiportum«."

Don. Hec. III 5,26[3] „*nimis abrupte* dixit »evenisse«, non »evenire«."

Don. Eun. IV 7,22[2] „. . . *indiligenter ut veteres*" etc.[1])

Don. Eun. III 5,19[1] „in hac commotus sum] *non est consequens*; esset autem, si diceret »in hac commotum me scias«."

Scholia Don. Eun. II 2,33[2]: „. . *non est consequens*" etc. et Don. Eun. II 2,33[3]: „*non hoc intulit, quod coeperat dicere*" etc. ex una adnotatione Donati ipsius emanavisse mihi videntur.

Et fortasse simili ratione inter se cohaerent: Don. Eun. III 3,1[2] „et *inconsequens oratio* est, sed conceditur secum loquentibus multa transcendere quae taciti intellegunt. est enim integrum hoc modo" etc.

et Don. Eun. III. 3,2[1] „*solve . . . et statim consequens erit*" etc.; quod scholium eorum quae Frid. Leo[2]) Donato ipsi attribuit, non dissimile est.

Sed hac adnotationum enumeratione, etsi omnia, in

---

[1]) supra p. 76.

[2]) supra p. 55.

quibus *ἀνακόλουθον* commemoratur, addere possumus, tamen abstineamus, cum quo loco *ἀνακόλουθον* figura, quo loco vitium sit, in incerto habeatur.[1])

Sequantur ergo scholia indolis paulum diversae:

Don Eun. III 1,27[2] „mutus ilico] tam hoc stultum est, quam si diceret »statim nihil«. *recte autem diceret* »ex illo mutus fuit«" etc.

Don. Hec. III 1,29[1] „cum de eadem causa est] *rectum erat si diceret* »cum in isdem rebus«."

Don. Ad. IV 7,21 „ita vita est hominis quasi cum ludas tesseris] *rectum erat si diceret* »ita vita est hominum quemadmodum tesseris ludere«" etc.

Don. Ad. IV 5,14[3] „ut opinor, has non nosse te] *potuit recte dicere* et hoc »ut opinor, has non nosti«, sed illud vetustius."

Don. Eun. prol. 12[3] „quam ille qui petit] *esset recta locutio si diceret* . . . »quam illum, qui petit«" etc.

Don. Hec. IV 2,30 „et mihi quidem] *οὐκ ὀρθῶς* (sic Schoell). quid enim »et mihi«?" etc.

Tum poetam his locis voce „mire" vituperari puto:

Don. Eun. IV 3,3[4] „*mire* »postquam ludificatus est, conscidit« dixit, cum ille videlicet, dum virgo reluctatur hoc fecerit."

Don. Eun. IV 3,19[2] „et *mira locutio*: pro eo quod est »nescio« »nequeo mirari satis, quo ille abire ignavus possit longius«."

Don. Ad. I 1,22[1] „inde ego hunc maiorem] *mire* »inde« subiungit, cum personam praetulerit."

Don. Ad. III 1,4[1] „solae sumus] cum hoc nomen singularitatis sit, *mire* »solae« pluraliter intulit

Don. Phorm. IV 3,52 „ab hac accipio quae sponsa est] *mire* »accipio«, non »accepturus sum«."

---

[1]) Conferas imprimis Guil. Hahn in progr. Halberstadt. 1870 p. 9 et in progr. Stralsund. 1872 p. 10.

Porro haec scholia vocabulo „nove" exornata eodem spectare mihi videntur:[1])

Don. Eun. V. 5,5[1] „quem praestolare P. h. a. o.] *nove* non »cui praestolare«, sed »quem« dixit. aliter Tullius (in Catil. I, 9,24)" etc; quam ob rem poeta in Eugraphio clarius reprehenditur: „*notandum* quod hic per accusativum protulit »quem praestolare«. at vero Tullius" etc.

Don. Ad. I 1,24[3] „*nove* »in eo me oblecto« pro »eo me oblecto«."

Don. Ad. III 3,81 „quando is quam ob rem] *nova locutio* »is, quam ob rem« pro »is propter quem«."

Don. Hec. III 3,39[1] „ex te recte eum natum putent] *nove* dixit »natum abortum« quasi abortus nascatur."

Don. Phorm. V 8,21[1] „quae tute dudum coram me incusaveras] *nova locutio* »coram me incusaveras«, non ἁπλῶς »incusaveras«."[2])

Postremo Eugraphius et scholia Bembina pauca ad quaestionem nostram afferunt:

Eugr. Hec. III 1,6: „hic omnino sensus est, verum *elocutio ardua.* nam cum praeposuisset »nos omnes«, subiunxit „in lucro est«, cum utique esse debuerit »nobis omnibus«."

Eugr. Eun. V. 5,5 „*notandum*" etc. (cf. supra)

schol. Bemb. Ad. III 2,23 „quisquis es] *notandum* »quisquis es« de femina dici".[3])

His vero locis Terentium defensum esse opinor:

Don. Eun. II 3,44[1] „quam longe quidem] *bene* »longe« dixit, *quia* »⟨a⟩ longe« *dicere non potuit.*"

---

[1]) Henr. Georgii (Aeneiskr. p. 23) poetam in scholiis Vergilianis voce „nove" vituperari omnino negavit. Ceterum etiam in Donato plurima huius vocabuli exempla talia sunt, ut reprehendendi vi careant.

[2]) Quos ad locos conferas etiam Ps. Acr. Hor. c. I 27,4 „nova figura locutus est . . . cum dici oportuerit."

[3]) Sed videas Don. Ad. IV 4,26[2] „aperite aliquis] . . . „veteres et »quis« et »aliquis« et »quisquam« non observabant, quo genere aut quo numero declinarent."

Etsi iam infirmiora sunt

Don. Eun. IV 3,4[8] „tum ipsam capillo conscidit] *multo melius quam si diceret* »capillum illi conscidit«;“ quae verba fortasse grammaticus quidam exspectaverat, praesertim cum eodem in versu Terentiano „vestem omnem miserae discidit“ scriberetur.

Don. Hec. IV 4,34[3] „⟨aut esse mecum nuptam⟩] et *melius* »nuptam mecum« quasi tectam et opertam uno cubiculo mecum“ etc., quo loco fortasse inusitata verbi „nubere“ constructio critico displicuerat.[1])

Don. Andr. II 3,7[8] „dictum ac factum invenerit] pro »inveniet«: coniunctivo modo pro indicativo usus est. et est *honesta locutio.*“[2])

Don. Andr. III 3,10[2] „nuptiae fuerant f⟨uturae⟩] *breviter et Latine.* et hoc genus compositionis veteres non vitabant.“

Denique adiecerim Don. Phorm. II 1,19[2] „⟨molendum esse in pistrino vapulandum,⟩ habendae compedes] *vitiosam locutionem* servili personae dedit Terentius; nam integrum esset, si diceret »habendas compedes«. unde quidam non »esse«, sed »usque« legunt.“

Quod scholium, cum commentator lectionem codicum contra regulas artis grammaticae in eo retineat et hac re excuset, quod falsa verba personae minus eruditae data sunt, cum illa quaestione de sententiis servorum prolata[3]) cohaerere mihi quidem videtur.

Ceterum eodem spectant Don Eun. III 1,42 „risu omnes qui aderant emoriri] disciplina est comicis, ut *stultas sententias ita etiam vitiosa verba ascribere ridiculis imperitisque personis,* ut Plautus (Mil. glor. I 1,74)“ etc. et Don. Eun. V 8,33[1]; Hec. III 1,31[3].

---

[1]) Don. Hec. IV 4,34[1] „vetuste »mecum nuptam« dixit.“

[2]) cf. Spengel in edit.

[3]) supra p. 43 sq.

In fine totius quaestionis de *rerum rhetoricarum vituperationibus* acturus illud κακόζηλον primum commemorem, quod omnium in eloquentia vitiorum pessimum esse Quintilianus (inst. or. VIII 3,56) declaravit.[1])

Κακόζηλον his locis in Donato notatur:

Don. Eun. I 2,112² „praesens absens ut sies] »praesens absens« κακόζηλον"

Don. Eun. II 2,12⁵ „nihil cum est nihil defit tamen] figura κακόζηλον" etc.

Don. Eun. IV 4,54⁸ „quod scis nescis de eunucho] in Heautontimorumeno (IV 4,26) »nescis quod scis, Dromo, si sapis«. et hoc est quod κακόζηλον dicitur."[2])

Sequitur κακέμφατον, quo de vitio Donatus (G. L. IV 394,32) haec disseruit: „Cacenphaton est obscena enuntiatio vel in composita dictione vel in uno verbo."

Quo redeunt Don. Ad. II 2,6³ „et »morem gerere« proprie lenonis est et meretricis, unde et ipse sic respondet, ut non fugiens κακέμφατον dicat »usque os praebui«"[3])

et Eugr. Andr. V 4,30 „arrige aures] κακέμφατον est. significat autem »intende auditum«" etc.

Deinde inter rerum rhetoricarum reprehensiones ea quae improprio de ordine prolata sunt referam.

Ad verba Terentii (Andr. I 5,42 sq.):

„adeon me ignavom putas
adeon porro ingratum aut inhumanum aut ferum,
ut neque me consuetudo neque amor neque pudor
commoveat" etc.

commentator scripsit:

---

1) cf. Norden, die antike Kunstprosa, Lips. 1898, imprimis p. 278.

2) Similia adnotavit Porph. Hor. ep. I 11,28; 12,19.

3) Hoc quod adiungam scholium sensu omnino cassum esse iam G. Hahn (1872, p. 2) vidit: Don. Hec. II 1,9³ „animadvertendum veteres non minus εὐφημισμόν in verbis quam κακέμφατον neglexisse, velut hic »non ita me di bene ament«."

Don. Andr. I 5,44[1] „. . .] *non ordinem reddidit:* »ferum« enim reddidit ad »consuetudinem«, qua etiam ferae mansuescunt; »neque amor« ad illud „inhumanum"; . . . »pudorem« ad »ingratum« rettulit."

Adiungitur schol. Bemb. Heaut. III 1,21 „valet atque vivit] *hysteroproteron.* nam prius est vivere, postea valere. aut ordinem prae festinatione non servat aut ioculariter sollicito patri hoc primum dicere voluit quod usitatum est de absentibus nuntiari."

Quo loco ut scholiasta etiam levissimae vituperationi excusationem addiderit vides.

Et sic traducimur ad

Don. Eun. V 5,9 „. . .] quod ante narrationem confirmatio inducitur, *contra morem ⟨est⟩ et praecepta; sed merito*, quia perturbatus est, † qui et simul ut possit dicere." — Quae excusatio in scholio Don. Eun. V 5,11[2] iterum offertur: „*docte Terentius ipse se reprehendit:* non ordine factum est prae timore et conscientia."

Vituperatio autem ipsa, quam etiam Eugraphius ad stultitiam personae potius quam ad ingenium poetae rettulit,[1]) fortasse ea de causa prolata est, quod Terentius ipse Luscium Lanuvinum similem ob rem reprehenderat; conferas velim Eun. prol. 10 sq.:

„atque in Thensauro scripsit, causam dicere
prius unde petitur, aurum qua re sit suom,
quam illum qui petit, unde is sit thensaurus sibi."

---

[1]) Eugr. Eun. V 5,9 „primum te arbitrari] antequam crimen vel admissum aliquod facinus narraret, prius voluit quod factum esset a se removere."

Conspectus locorum,
in quibus Terentius vituperatus est.

Vita.

Maximilianus Dorn, Stassfurtensis Saxo-Borussus, natus sum die 22. mensis Augusti 1883 patre Francisco matre e gente Muehlbach, quos adhuc inter vivos esse valde gaudeo. Fidem profiteor evangelicam. Primis literarum elementis in eo in quo natus sum oppido imbutus a. 1897 in paedagogium Parthenopolitanum, quod est in Monasterio Sanctae Virginis, receptus sum; cuius scholas per V annos frequentavi. Vere anni 1902 maturitatis examine quod vocant superato, ut studiis philologicis et germanicis me darem, Halas me contuli, ubi per octo semestria lectionibus interfui virorum doctissimorum:

Abert, Bechtel, Berger, Blass, Bremer, Consbruch, Dittenberger, Droysen, Fries, Hultzsch, Maurenbrecher, Riehl, Robert, Saran, Schultze, Schwarz, Strauch, Uphues, Vaihinger, Wissowa.

Ad exercitationes me benigne admiserunt philologicas: vv. dd. Blass, Dittenberger, Wissowa; germanicas: vv. dd. Berger, Saran, Strauch.

Quibus praeceptoribus cum omnibus tum Georgio Wissowa, qui benevolus huius commentationis auctor ac fautor fuit, et Friderico Blass, qui onus de ea referendi suscepit, gratias ago quam maximas.